Armar° 2 abbat° 2 mur° n° 66

L
IV
21

7
6-c
2

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 B
35

Bibliotheca
...ri Coll. Rom.
Societ. Jesu
M

61
D
36

7-6.c.2.

324
T

L
224

61436

HISTORIA
ECCLESIASTICA DE MARTYRIO FRATRVM ORDINIS DIVI FRANCISCI, DICTORVM DE OBSERVANTIA, QVI PARTIM IN ANGLIA ſub Henrico octauo Rege: partim in Belgio ſub Principe Auriaco, partim & in Hybernia tempore Elizabethæ regnantis Reginæ, idque ab anno 1536. vſque ad hunc noſtrum præſentem annum 1582. paſſi ſunt.

Authore Fratre Thoma Bourchier Anglo, ordinis D. Franciſci de obſeruantia.

Et ſi coram hominibus tormenta paßi ſunt: ſpes illorum immortalitate plena eſt. Sap. 3.



PARISIIS,
Vænundantur apud Ioannem Poupy, via Iacobæa.
M. D. LXXXII.
CVM PRIVILEGIO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

GENEROSO ADMODVM ET ILLVSTRI VIRO DOMINO IVLIO BVSSIN FLORENTINO, Domino & amico ſuo perpetua fide colendo.

F. Thomas Bouchier Anglus.

FECIT eximius nominis tui ſplendor (heros ampliſſimè) vt ego quem olim ob ſingulares virtutes amore ſummo complectabar, familiaris etiam forſitan quàm par erat ſæpius agens cum penitius iam ſingulas animi tui dotes introſpicio, non poſſim non eaſdam ſuſpicere & admirari. Quis enim eſt adeò ab omni ratione alienus, qui non miretur ſummum ingenij acumen, iudicij acrimoniam incomparabilem, generoſum etiam iſtum animum tuum ad ardua quæuis obeunda quammaximè accommodum? Hæc dum conſidero, non paruo honore me affectum exiſtimo, quod, tua beneuolentia, ſingularique, qua præditus es animi facilitate, ſumma rerum familiaritate vti non ſis grauatus, adeò pectus habes ab omni faſtu & arrogantia ſemotum. Impulit me profectò harum rerum cogitatio vt tandem aliquando diſpicerem ſi quid ex paupere meo penu poſſem depromere quod gratia animi fidelē memoriā, neceſſitudinis huius gratia conceptam, poſſit tibi teſtatam facere tam de me bene merito. Atque cum nihil eſſet te dignum quod equidē offerre poſſem, malui tamen aliquid

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

etiam non ita luculentum tibi ingerere quàm ingrati, hominis labe notari. Habebam aliqua de Angliæ, Belgij & Hyberniæ martyribus meditata, quorum quædam in ſcriptis erant, alia proborum virorum fida relatione acceperam: hæc ſi in vnum aliquem cathalogum componerẽtur, putabam me rem non planè deploratam facturum, tibi etiam forte gratam vtpote ab homine tui amãtiſſimo profectam: atque hoc magis quod ea de re ageret quæ tibi Catholicæ Romanæ fidei addictiſſimo, non poſſit non eſſe acceptiſſima: quantumuis inſulſus ſit hic alioquin commentariolus, non ſatis cultus & expolitus: de ijs tamen agens qui magna animi conſtãtia pro Christi nomine ſupplicia acerbiſſima mortémque ipſam ſuſtinuere. Beatos ſiquidem eſſe qui propter iuſtitiam perſecutionem patiuntur, Chriſtus ipſe & teſtis & author eſt. Verũ quorſum hæc de iuſticia & perſecutionibus? Vt ſcilicet quiuis poſſit ſole clarius cognoſcere, martyres dici (de his enim omnis noſter ſermo in præſenti libello inſtituendus eſt) non eos qui paſsionem ſuſtinuerunt, ſicque cauſam non pœnã martyres efficere. Atque propterea pſeudomartyres omnes ab hoc honore ſegregendos quibus non iuſtitia cauſam pœnæ ſed ipſa iniuſtitia præbuit: Quales illi quos Ioannes Fox Anglus in pſeudomartyrologium ſuũ retulit, quorum aliqui adhuc ſuperſtites ſunt. Inſignes ſanè martyres in quorum morte & paſsionibus nullum vnquam verũ miraculum, veritatis inditium non paruum editum eſſe poteſt. Quis enim ita ab omni ſenſu & ratione derelict⁹ eſt, vt arbitretur homines apoſtatas, ſacrilegos, ſeditioſos à ſæculari gladio propter efferatam inſolentiam repreſſos, in conſortium martyrum aggridendos. Et tamen (ô rem deplorandam) habet iſtud genus hominum cul-

tores ſequacéſque ſuos. Atque eô calamitatis miſeriæque res Chriſtiana deducta eſt, vt nouorum pſeudoapoſtolorum doctrinam potius, quàm primis illius ſyncerioris & purioris æuo Orthodoxorum Patrum, atque adeo Apoſtolorum ſequatur multorum hominum improbitas. Beati itaque qui perſecutionem patiuntur, propter iuſtitiam, propter quam Patres iſti ſancti pati ſicut fortiſſimi Chriſti athletæ non dubitarunt: quorum paßionum hiſtoria hoc præſenti libello, texere decreui, humanitatique tuæ (vir generoßiſſime dedicare neque enim cuiquam hominum commodius dedicare potui, quàm tibi qui martyribus in pœnis & tormentis ſocius fueris, ita tamen vt illi conſtantißimè euaſeris. In arce enim Rammekenſi quæ in littore Zeelandiæ eſt conſtituta, etſi mori propter acerbißima tormenta cruciatuſque ſæuißimos tibi à tortoribus iſtis propter fidem tuam, amicorumque illata non recuſaris, nudis tamen, relictis ibidem veſtibus, elapſus es: non dubium autem id eo factum eſſe vt in grauißimis negotiis Reipublicæ Chriſtianæ ſedulã (quod & facis) operam nauares. Laudent alij ſtylo oratorio ſtirpis gloriari, nobilitatem, diuitias, patriam, quorum laude te minimè delectari exploratum habeo, etſi iſtis externis & fortituitis bonis largißimè ſis dotatus: mihi magis virtus iſta tua interna admiranda venit qua verè Iulium te præſtas, Iulium, inquam, Cæſarem, cuius nomen trahis: iuxta tritum illum verſiculum, Conueniũt rebus nomina ſæpe ſuis.

Quem ſi vnquam alias aliis, certè hac tempeſtate in te cumulatißimè completum gaudemus & gratulamur. Quapropter oro iterum atque iterum humanitatem tuam vt libellum iſtum tuæ Dominationi exhibitum non tantum grata mente accipias verumetiam contra inuido-

rum morſus ita defendere digneris, vt tibi laude, aliis ex vſu eſſe poßit. Interim Pater ille cæleſtis clarißimam illam tuam Dominationem diuſeruet incolumem, aliiſque nobilibus omnibus ſimilem inſpirare dignetur mentem, quò paribus eleemoſinæ & bonorum operum, erga noſtram Franciſcanorum familiam ornamentis, populo præluceant. Vale: ex conuentu noſtro Pariſienſi. Die primo Menſis Iannuarij- Anno 1582.

Amplitudinis tuæ
addictiſſimus,

F. THOMAS BOVCHIER ANGLVS.

F. I. du Douet Dinannicus Minor Bachalaureus Theologiæ, huius operis Authori.

MArtyriū crudele refers doctiſſimè Bourchier
Iuſtorum Patrum diráque ſupplicia
Quos aluit ſemper clariſſimus ordo Minorum:
Inuictos, fortes reddidit atque piget.
Cum morientes Chriſti ob nomen ſanguine fuſo
Vidit conſtantes barbara ſæuitia.
Hos Flandros ſcimus Patres Anglos & Hybernos
Hæteticorum quos ſuſtulit impietas.
Tutè igitur vaſti huius terrarum orbis in omnes
Oras eximius prodeat iſte liber.

Eiuſdem
Ad Authorem.

Plurima conſcribunt varij queîs nomen in aſtra
Efferre & Magnis ſæpe placere queant.
Eſt qui fatidico furiarum percitus œſtro
Occipit heroâ multa tonare tuba:
Mulciberum, Venerem, Martem, doctamque Mineruam,
Atque Iouem & reliquos ſæpe poëta canit.
Turgidus orator ſibi ſeſqui pedalia verba,
Deligit & fumos efflat vbique ſuos.
Decantantalij cædes, Mauortia bella,
Quæ terrâ & vaſto geſta fuere mari.
Tu vero Thoma, clades ſed Chriſtigenarum,
Quas Franciſcanus pertulit ordo, refers:
Victorum ſiquidem caſum, certamina, agones
Fœdè nol bas iſta latere diu.
Quapropter te poſteritas mirabilis, vt qui
Congeſti hoc libro tot pietatis opes.
Non vanas vatum illecebras, non bella furentum
Regum, at clarorum fortia geſta virûm.

Ad pium lectorem.

Regia progenies, ſupremi in regis honorem
Regis tormenta, hac condidit hiſtoria.
Qui varias clades, iniuſtaque fata Britanni,
Chriſticolis animis, cœca cupido tulit.
Quî (comitata nefas) rabies poſt Scotica ſæuit,
Cimmeria, & quos circum aſpera terra gerit.
Quoque affectu, in tela ruunt deuota Minorum
Agmina, in haud dubiam pręcipita necem.
Præmia conticuit prudēs: nam immenſa beatûm,
Conſcriptæ mentis lumina, palma fugit.

I, Guignard.

Victor Nicaſius.

HErculeos auſus, hydramque ſtupeſcere ſæuã
 Deſine: Graiorum factaque clara virum.
Nec decios mirere duces, forteſque Camillos:
 Nec quoſcumque olim Roma ſuperba dedit.
Chriſticolas venerare viros hos perlege, volue
 Quos breuis inſignes continet iſte liber.
Non ſtigio hos emiſſa, lacu, tetriſque cauernis
 Hereſis, & quicquid regna Plutonis habent.
Non enſis, non flãma vorax: Dira ipſa Tyrannum
 Supplicia a vera non pepulere via.

Extrait du Priuilege.

IL eſt permis à Iean Poupy, Libraire Iuré en l'vniuerſité de Paris, de faire paracheuer d'Imprimer & vendre vn Liure intitulé *Hiſtoria Eccleſiaſtica de martyrio F. Minorum in Anglia &c.* compoſé par F. Thomas Bourchier Religieux de l'ordre de ſainct François. Auec deffences à tous autres de quelque eſtat ou vacation qu'ils ſoient, de ne vendre aucuns des exemplaires de ladite hiſtoire, ſinon du conſentement dudit Poupy, ſur peine de confiſcation des Liures & d'amande arbitraire. Et ce iuſques à ſix ans finis & accomplis apres la premiere Impreſſion. Fait à Paris le premier Ianuier, 1582.

Signé

SEGVIER

Et

DE VILLEMONTEE.

MARTYRII FRATRVM MINORVM DE OBSERVANTIA,

Pars prima.

Ad Lectorem beneuolum.

ECCLESIA Catholica tot olim impetita perſecutorũ oppreſſionibus, vt niſi diuini promiſſi certitudine niteretur, extingenda fuerit viſa: exulceratiſſimis iſtis temporibus, nullum non mouente lapidem coniurato humani generis hoſte diabolo, adeò in hoc noſtro Europæo orbe eadem calamitas excreuit, vt ad perſecutorum ſæuitiam nihil fuerit reliqui. Verum ea in genus humanum eſt benignitate Deus ter Optimus, Maximus, vt quamtumuis perſecutores ij ſint & plurimi & truculentiſſimi: tamen hiſce illorum conatibus Ec-

cleſia aucta ſit verius quàm debilitata, multò minus imminuta, dum longè latéque, quamuis vno in loco videatur perire, ſuos propagat limites: de ſplendore quoque ſuo tãtum abeſt vt aliquid perdiderit, vt etiam multis partibus facta ſit illuſtrior. Dici enim non poteſt quàm animi magnitudine quantáque conſtantia mortem oppetebant, qui à nefariis & ſceleſtiſſimis illis ſatanæ miniſtris, quærebantur ad mortẽ, quid quod vltrò ſe ingerebãt ſæpius, glorioſum eſſe arbitrantes & ad ſingularem honorem ſpectare ſi in martyrũ eſſent numero: quod quidem Eccleſiaſticas legẽti hiſtorias eſt notiſſimum. Vnum hic multorũ loco adducam quod eſt Euſebij hiſtoriæ libro ſeptimo, capite vndecimo, vbi trium adoleſcentum extat præclarũ ſtratagema, qui in Valeriani perſecutione apud Cæſaream Paleſtinæ

in ſuburbio agentes ſeipſos ad martyrium ſubeundum mutuò ſunt cohortati. Horum erant nomina, Priſcus, Malchus, Alexander. Quid, inquiunt, deſides, ſegnitiéque torpentes hic hæremus, dum in vrbe cœleſtes exhibeãtur martyribus coronæ, quas quidem nos ignaui nec rapimus nec petimus cum tamen regnũ cœlorum vim patiatur & violenti rapiãt illud? Itaque ad vrbem ſe cõferunt, iudicem truculentum aggrediuntur, cum ipſo grauiter expoſtulantes quod tam atrociter in pios, eorum fundens ſanguinem, deſæuiret? Hic implacabili in Chriſtianos animo crudelis homo reſpondet: deuorandi beſtijs exhibentur qui piorũ ſanguinem fundi queruntur. Atrox profectò & crudelis animi inditium, reſpõſio. Debuerat nobilium iuuenũ generoſos animos collaudare qui non dubitabant ſe pro

re, quam ſanctam putabant, in apertum vitæ diſcrimen coniicere. Verum nihil profecit apud illum nobile factum quin potius exacerbatus, optimos iuuenes graui ſupplicij genere affecerit. Præſtans omnino ſtratagema, eos iuuenes, ætate florẽti id tantopere expetiuiſſe quod pleríque noſtro ſæculo omni ſtudio conãtur euadere, ac non ſolùm hoc ipſos deſideraſſe, verumetiam vt cõſequerentur, vi egiſſe. Eluxit certè magis magíſque iſtorũ aliorúmque quamplurimorum perſecutionibus Eccleſiæ virtus & ſplendor, dum inſignem animi conſtantiam declarãt addicti martyrio, ſtrenuè in fidei confeſſione perſiſtentes, dum alij qui fortiter vident illos cadere, ſimili exemplo commoti, non ſolùm non fidem Catholicam amplectuntur, verum etiam morti ſe intrepidè offerunt. Hoc calamitoſiſſimo

temoore an non ſimilia ſæpe vidimus vt verè Catholicum eſſe capitale cum ſit,apud multos, plurimi in carceres tracti fuerint, qui fœtore, infinitíſque moleſtiis ibidem, extincti aut exquiſitiſſimis ſuppliciis, publicè ſunt affecti? Euenit hoc fuⁿeſto admodum progreſſu & exitio indubitato in Anglia, in quo profectò regno dolendum id eſt maximè, quòd à Deo ter Optimo Maximo incomparabilia dona fuerit conſecutum. Quæ enim eſt natio, quæ regio quæ ita rerum omnium vbertate affluat? Inſula eſt portubus cumplurimis munitiſſimis celeberrima, ſinúſque videtur in quam vniuerſa terræ bona deportentur. Conſtituta ſiquidem eſt loco adeò commodo vt quicquid eſt alibi terrarum boni facillimè eò importari poſſit.

Verum

Verùm metuo ne hæc rerum omnium abundantia funeſti iſtius exitus cauſa fuerit. Nam externarum rerum copia & commoditas facilè pellicit homines ad malefaciendũ. Si auri vim ignores quod ibi eſt numero maximo, poëtam audi dicentem, Tertio Æneidos. Quid non mortalia pectora cogis Auri ſacra fama? vt taceam hac de re agentes authores Catholicos. Si merciũ pretium & copiam, quæ quæſo natio eſt ad quam plus adferatur bonorũ quam ad iſtam? quæ cum per ſeſe rerum omnium vbertate ſit celebris, aliunde etiam illatis rebus eſt ditiſſima. Optãdum fortaſſis fuerit mediocria hæc fuiſſe in Anglia, ne tantorum malorum Ilias in hanc inſulã delata, eã corrumperet & diabolico cultui manciparet. Contigit hoc ſanè atque adeò acerbo exemplo vt quæuis alia regio poſſit & debeat *Vergilius 3. Æneidos.*

hinc, quid in religionis negotio faciẽdũ ſit conſiliũ capere. Rex Hẽricus huius pronominis octau⁹ dũ nũtiũ mittit Pontifici, libidini propriæ nimium tribuẽs, effecit vnius quod priuatorum nulla quamtumuis doctiſſimorum potuiſſet facere induſtria, cum totius propemodum inſulæ populus eius ſit placita ſecutus. Quiſque enim regis ferè ſui libenter exemplum ſequitur & ad eius viuendi rationem ſubditorum frequentiſſimè mores efformantur. Egregiam hac de re Eccleſiaſtici decimo habemus ſententiam vbi dicitur: ſecundum iudicem populi

Eccleſiaſti. capite.

„ ſic & miniſtri eius & qualis eſt re-
„ ctor ciuitatis, tales & inhabitantes
„ in ea. Rex inſipiens perdet popu-
„ lum ſuum & ciuitates inhabitabun-
„ tur per ſenſum prudentium. Atqui hoc ſanè deplorandum eſt maximè quod vir prius optimus & in opti-

mos quoſque & doctos liberaliſſimus vanæ quadam animi opinione duct⁹ rem peregerit exitio plenam. Vxor erat ei matrona caſtiſſima & prudētiæ laudè quammaximè commendata. Hanc diaboli machinationibus impulſus, diuortio abs ſe abdicandā putauit quod iam alterius cuiuſdā eſſet amore demētatus, quæ tamen vt error errorem trahit, nec eius ſatisfacere potuit procedenti ſemper libidini. Abdicat itaque eum quam omni ſtudio ad ſe debebat pertrahere: & nè id præter rationem feciſſe videretur, mittit quendam, virum in iure ad miraculum vſque doctum Thomam Bonner nomine, qui poſt modū reginæ Mariæ tēpore factus fuit Lōdinēſis Epiſcopus, & ſubpræſente Elizabeta Squallore carceris extīct⁹, de quo amplius agemus in ea quá meditamur generali Angliæ hiſtoria:

Hunc dico mittit ad Pótificem qui tunc erat Leo huius nominis decimus deprecaturum vt Henrico aliã in coniugij ſociam ſumendi, fiat poteſtas. Rennuit Pontifex qui videret authore diabolo hæc geri, & id ſi cócederetur, indignum clamaturos omnes facinus admiſiſſe Pontificẽ (nec ſanè immerito) qui veritatem in omnibus ſequi, magíſque honori Dei conſulere debeat. Conſuluit itaque hac in re, vt debuit omnino honori Dei magis Pontifex optim⁹ quàm Regis obſecutus eſt voluntati, quem tamen de Eccleſia optimè prius meritum fuiſſe ſciebat. Scripto libro, Luthero bellum & indixiſſe & confeciſſe, reportata etiam victoria: quod quidem non potuit nó eſſe in huiuſcemodi viro longè gratiſſimum. Paupertas ſiquidem cum præſtantiſſimarum artium & ſcientiarum multis non ſine cauſa inuẽ-

trix eſſe videatur , præclarum habe-
tur in rerum omnium copia affluẽ-
te rege ſi nõ modò humaniores de-
guſtet literas verumetiam ſi ſuperio
res ſciẽtias amplectatur,maximé ve-
rò ſi Theologiæ penetralia ſcrute-
tur,idque adeò, vt in ſacris literis pu
blico honore dignitatis gradu de-
corato faceſſat negotium , commiſ-
ſo prælio vnde victoriam poſtea re-
portet . Nam non exigui profectò
momenti fuerunt ea quibus contra
Lutherum Rex egit. Verum quid
nõ poteſt libido & turpis ille amor
qui ſæpe viros omni ſapientiæ alio-
qui laude Florentes,fortitudinis in-
credibilis, nullis non alias virtutum
inſigniis decoratos, ad præcipitium
impellit? Abdicat ergo Catharinam,
ſumit Annam Bolim.Cauſam hanc
prætexit quod Catharina ex qua nõ
poterat maſculam prolem ſuſcipe-
re,maximi Imperatoris Caroli qui-

ti amita fratris ſui Arthuri natu maioris fuerat vxor. Verum Rex quod non ignoraret quid hac in re fuerat agendum, hanc ptofectò rationẽ in medium aducere nõ debebat, quòd maritus ſuæ vxoris Arthurus virginem reliquiſſet: quod & ipſemet. Henricus abundè cum probauit dũ Carolo confitetur virginem ſe eam reperiſſe. Carol⁹ enim in Hiſpanias ex Belgio profecturus vi tempeſtatis in Angliam depulſus eſt vbi ſermone inito inter Londinũ & Vuinſuuorthè totam hanc rem patefecit. Non curat itaque Pontificis decretum Rex libidinis furiis accenſus. Inauditum & inuſitatum nefas aggreditur, declarari vult Anglicanæ Eccleſiæ caput ab iis quibus quàm Eccleſiæ dignitatem defendere nihil erat prius. Vocatur ergo Roffenſis epiſcopus, vocatur Thomas Morus, vir vt doctiſſimis omnibus con-

iunctiſſimus ita ipſe doctiſſimus & ſingulari pietate clarus, vocantur varij generis & ordinis viri qui huic Regis concepto decreto ſubſcribãt. Verum maluerunt viri celeberrimi Regis placita reſcindere quàm vlla ex parte iiſdem ſubſcribere quamtumuis hoc cum capitis ipſorũ periculo agi non ignorarẽt. Morti adiudicatur illuſtre illud Eccleſiæ lumen Ioãnes Roffenſis cuius ſcriptis quòd ſolidis maximè rationibus niterentur adeò turbatus fuit Luther⁹ vt reſcribendum ſibi non putaret, ne ſi vlterius fuiſſet progreſſus, piſſinarum hæreſeon eius camarina à ſanctiſſimo Epiſcopo mota fœtorem maiorem naris emunctiſſimæ pleriſque doctis & piis viris, excitaſſet. Securi poſtmodum percutitur & præſcinditur à ceruice, regni, mihi credite, totius caput, quod conſilio acri, incredi-

bili prudentia, ſumma virtute rara eloquentia regni totius prora erat & puppis. Non dubitauit hanc diligentiſſimi alioquin in reſpondẽdo Lutheri ſocordiam cum nihil Roffenſi ſcribit, notare Eraſmus quod videret Lutherus argumentorum ſe vi & pondere preſſum leuibus illis quibus aſſueuerat velitationibus agere non poſſe. Thomas Mor⁹ quãtumuis Eccleſiaſticæ dignitatis nomine necquicquam illuſtris, tamen a Rege vocatur etiam, quòd in illũ vt & in Roffenſum præſulem omnium oculi eſſent coniectij. Verum non reportat amplius ab eo Rex quã ab altero. Erat enim Moro pectus Catholica veritate maximè imbutum, adeò vt à Rege rogatus vt licitum eſſe diceret quod agebat, Anglicanæ videlicet vt Eccleſiæ caput nominaretur, reſponderit ſe cũ annis plurimis legendis cum hiſtoriis

tum etiam Iuris Vtriuſque conſultorum & Theologiæ peritiſſimorũ monumentis fuerit occupatiſſimus, nunquam tamen reperiſſe Eccleſiaſtici gradus ſplẽdore clarũ ſed (vt trito vtatur nomine) laïcũ, ad Eccleſiaſticæ dignitatis culmen euectũ fuiſſe. Euocati ſunt & religioſi diuerſorum ordinum quorũ fultus authoritate ſubditorũ ſe ſperabat euadere poſſe contumeliam & facti inuidiã eleuare. Verum nihil effecit Rex inſani amoris captus illecebris, ſed quo magis vrget ad præſtãdũ quod poſtulat eò magis ſubterfugiunt mandatum pij patres & tormentorum minacibus verbis intentorum ratione nulla habita, liberè profitentur ſe Eccleſiæ Dei præfectũ Regem declarare nõ poſſe eum qui iã adulterinas tentaret nuptias, cum nec vero matrimonio implicitũ dignitatem liceat Eccleſiaſticam adi-

piſci, maximéque eam quæ ſui amplitudine reliquas omnes longè antecellat. Itaque omnis dementati regis cogitatio eſt de carceribus, variis ſuppliciorum tormentis, diuerſis moriendi generibus quibus patres putabat à propoſito abſtrahere. Fuerunt inter hos Carthuſiani qui ſingulari conſtantiæ exemplo crudeliſſimis ſuppliciis affecti, toti mũdo abundè commonſtrarunt Eccleſiam ſemper, vbi res exigit, martyribus tanquam gemmis exornatam ſplendeſcere. Et quantumuis hæretici ad calumniam, omnem ſanctiſſimi cuiúſque vitæ rationem pertrahant: tamen ſecus ſeſe rem habere quâm aut ipſi ſentiunt aut prædicãt longè eſt maneſeſtiſſimã. Carthuſianorũ martyria non proſequimur ꝙ plurimi ſint qui ea deſcripſerint vt iam per totũ orbẽ ſint peruagata. Inter reliquos qui religioni alicui ad-

dicti fuerunt,à Rege ad eãdem rem adhibiti plurimi erant qui Diui Frãciſci inſtitutum fuerant amplexi. Cũ his quoque ſeriò agitur, vt petitioni Regis faciant ſatis. Nõ faciẽtibus infinita ſupplicia, milléque cruces intentantur. Quid agerent pij viri miſerè agitati Regis cernẽtes inſaniã? Negãt ſe facturos id quod petit, mori potius ſtatutũ eſſe & pœnas has trãſituras tãdẽ perpeti, quã à diuinis ſtatutis vel latũ vnguẽ diſcedere. Inſanit furibũd⁹ Rex, ſed fruſtra, quẽadmodũ vbi ſingulorũ legeritis martyria, facile erit animaduertere. Atqui hæc nobis ſumpſimus deſcribẽda eô libẽtius quòd illorum cognitione non dubia ſimus inſtructi, ſedula vbicunque potuimus, facta indagatione, ad amicos qui hæc probè norant frequentiſſimè datis literis: ad hoc etiam extimulati quod eiuſdem cum ſimus ordinis, hoc of-

ficij genere putauerimus noſtris fratribus eſſe gratificandum.

Sæcularium verò qui in Anglia paſſi ſunt circa idem tempus, hic mentionem non faciemus: quod ad id à nobis aliquid paretur quodtum demum prodibit in lucem cum pleniſſimè hiſce de rebus edocti fuerimus, vtpote qui nihil niſi quod ſit adamuſſim veritati conſonum, velimus luci exponere quod auté ad fratres noſtros gallos attinet, in ſecũda parte huius operis explicare ſtatuimus. Interim hos noſtros conat⁹ oro fauore tuo (beneuole lector) vt proſequaris, & noſtrã, candore tuo, ineptiam, dum non ſatis ornatè doctéque, tamen verè profectò, ſcribimus, compenſa. His vale. pro nobis ora.

FRATER THOMAS BOVCER AD LECTOREM.

SISTE parum, lector, qui forte per auia greſſus
Flexiſti auerſos errans per inhoſpita teſqua
Huc propera ſubitóque aufractus deſere curuos
Franciſci legem tota Complectere mente.

Hæc pro mendis, cætera non ingratus Lector reponet.

Pag.3.linea 15. lege carne. p.15 l 14. quam plurimum. p.8. l.10.ſcalas.p. 14.l.10.recitans.p 30.l.10.adicta p. 33.l.3. labeſcentis.p.40.l.11.tormentis.p.43.l.4.velle.& l.10. obertã. & l.14.punierit. p.46.l.23.iſtud. p.51.l.16.heade p.53.l.18. eandam.p.64.l.18 facies.p.70.l.6.auriaco.p. 85.l.5.numeris p.89.l.29.exatlãdi.p.93.l.7.inuitus.p.96.l.1. ingulũ.& l.96. facies.p.97.l.21.vnquam.p.101 l.18.aut ex p.103.l.23.inſtar. p.113.l.8.iudeorum.p.117.l.16.Sixtũ.p.118.l.11.deſero p.124. l.19.cruciatum.p.125.l.5 mouentur.& l.18.argumenta.p.137. l.6.aut.p.140.l.8.capitis.& l.11.timetis. p.141.l.8.ſupplicia. p.142.l.9 æternam.p.146.l.20. ictuum.p.150.l.6. iamiam p.151.l.12.læto.p.154.l.5 demonibus.p.158.l.5.tentans.p.164. l.19.Denſiſsimus.p.166.l.2.diſſoluunt.p.168.l.5.quid.p.172.l. 15.inuitus.p.176.l.19.ſermone.p.180.l.18.ſex.p.191.l 13. Indiam.p.200.l.1 ſortitur.p.210.l.11.eſt.p.220.l.12.paſtus.p. 225.l.7.coruorum. & l.9.viuos.& l.11.roſtro. & l. 18.interrogat.p.229.l.3.dele.p.229.l.8.iudicij. p. 234 l.12. eruditionis. p.235.l.21.honore.p.236.l.9. nominauit . pag.238.l.13.feſtu p.240.l.3.plurimis. p.240.l.18.nimirum. p.241.l.22.iuris. p.242.l.5.iudiciis.p.243.l.9.ictibus.p. 245.l.22. conſturcauit p.250.l.23.abhorreamus.p.261.l.12. iuſtè. p.265.l.4. rumur. p.268.l.4 potitus.p.269.l.9.ab. pa.273.l.23.magis.p.274. 13.ictu.p.283.l.21.ingemuerint.

CENSVRA HONORANDI MAGISTRI PETRI BOVRGONGNE GVARDIAni Almi Conuentus Pariſienſis, Reuerendiſſimi Patríſque Generalis Comiſſarij in eodem.

EGo ſubſignatus Doctor Theologiæ facultatis Pariſienſi, ordinis Minorum Diui Franciſci inſtituti, fidem facio, me legiſſe integrè & completè Librum hunc de Martyrio Frattum Minorum noſtri temporis, Authore Reuerendo Patre Thoma Bourchier Anglo, in quo nihil reperi, quod pium & Chriſtianum non ſit, & ideo dignum exiſtimo illum, qui prælo mandetur ad Catholicorum vtilitatem ac Dei honorem, Pariſiis Datum Anno 1581. die menſis Septembris, 15.

Frater Petrus Bourgongne.

EGo inferius ſcriptus Doctor in facultate Pariſienſi Theologiæ atteſtor Hiſtoriam Eccleſiaſticam de Martyribus Franciſcanis, Angliæ Belgij & Hyberniæ agentem, Authore Reuerendo Patre Thoma Bourchier Anglo, nihil habere quod Catholicæ Romanæ Eccleſiæ repugnet, imò pijs omnibus, vtilem eſſe, ac proin dignum qui in lucem prodeat, Pariſijs Datum Anno 1581. die menſis Septembris 20.

Frater Franciſcus Hannon in familia Franciſcana Pariſienſi Regens.

QVOMODO REX HENRICVS HVIVS NOMINIS OCTAVVS PER Angliam varios Patres inſtituti D. Franciſci carceribus mācipari curarit, quod pernitioſæ ſuæ petitioni noluerint pręberé aſſenſum.

REx Angliæ Henricus, huius nominis octauus, facinoris noui ſtimulis exagitatus, quam ſibi matrimonio coniunxerat vxorem, Catharinam nomine, matronam ſanè optimam & ſummis cùm animi tum corporis ac etiam fortunæ dotibus exornatā eam ſibi putauit dimittēdam, quod (vt fœdiſſima iſta libido non in vnā

aliquam legitimam ſociam cogitationem ſuam defigit ſed vaga eſt & per diuerſas, vt hoc ipſum prædicto Henrico accidit,diuagatur) voluerit ſibi in vxoré adſiſcere Annam quãdam cognomento Bolin , cuius rei hiſtoria diuerſis iam libris eſt exarata.Arbitror equidem ea ratione hãc rem à Satana adminiſtratam fuiſſe vt cùm eum videret inuictum Catholicæ fidei propugnatorem , authoritate quoque &, ſumma cùm pietate tum etiam eruditione valere nihilque proinde conatib⁹ ſuis poſſe incommodius Regis ſtudio accidere cùm perſpiceret, hanc de mutatione reginæ funeſtam cogitationem animo Regis iniecit,cui ſi Rex obſequeretur, non dubitabat ſe facilè effecturum quod optabat. Itaque cum ſummo Pontifici nuntiũ miſiſſet &ab eo ſe abſtraxiſſet quòd

impium dictium nollet comproba re, multò minus in ſecundas illas, quæ veræ non erant, nuptias cõdeſcendere, in Angliæ Florentiſſimo regno omnia cæpit turbare, & ima ſummis miſcere. Noluit profectò ſãctiſſimus Pontifex regiæ libidini patrocinari, non ignaruſquid hac de re haberet ſcriptura. Geneſis enim ſecundo ſic loquitur de Eua protoplaſtus Adam hóc nunc os ex oſſibus meis & caro de carne mea. Quãobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhęrebit vxori ſuæ & erunt duo in carnæ vna: Huic ſententię Marci decimo per pulchrã certè videbat Chriſti correſpõdere ſententiã, quod Deus cõiunxit, homo nõ ſeparet, & poſtea, Quicũq̃ dimiſerit vxorẽ ſuam & aliã duxerit, adulteriũ cõmittit ſuper eã. Cõſiderabat hęc omnia Pontifex longè ſapientiſſimus poteſtate ſua nõ ad de-

Geneſis. 2.

Marci. 10.

ſtructionem ſed ad ędificationem vtens, qua propter ſibi illud reſpondendum putauit quod olim increpatione vſus apud Herodem Ioannes Baptiſta dixit, Non licet tibi ha-
Matt. 14. Marc. 6. bere eam, vt eſt decimo quarto capite Euangelij Mathæi. Erat quidem hæc vxor fratris ſed adhuc ſuperſtiſtis, alioque vtriuſque indubiè eſt ratio. Quid quod luculenter etiam hac de re agentis Pauli locum in mentem reuocabat, dicentis ſepti-
1. Corin. 7. mo ad Corinthios capite, epiſtola prima: Mulier ſui corporis poteſtatem non habet ſed vir. Similiter autem vir corporis ſui poteſtatem non habet ſed mulier: & eodem capite, His autem qui matrimonio iuncti ſunt præcipio non ego, ſed Dominus. Vxorē á viro non diſcedere, poſtea aliquantulum: Et vir vxorem non dimittat: Similiter ad
Ephes. 5. Ephæſios capite quinto, vbi etiam

Geneſis apertiſſima verba repetun- *Geneſis 2.*
tur, hunc in modum, Propter hoc »
relinquet homo patrem & matrem »
ſuam & adhærebit vxori ſuæ & erũt »
duo in carne vna: ſacramentum hoc »
magnum eſt, ego autem dico in »
Chriſto & in Eccleſia. Ad mortem itaque, videns ſe Pontificis ſuffragio & conſenſu deſtitui, requirebat plurimos qui impio ſuo decreto noluerunt ſubſcribere. Inter hos fuerunt Patres fratréſque ordinis ſancti Franſciſci, de obſeruãtia vulgari nomine dicti, quorum quemplurimi anno a natiuitate qui 1536. in carceres fuere eiecti. Scio venerãdum, propter ſummam cùm pietatem tum eruditionem virum, Dominum Laurentium Surium Carthuſiani inſtituti religioſum, referre factum hoc ad annum Domini 1535: verùm cùm datis ad ipſum literis percũſtaret: qua id ratione feciſ-

ſet, reſpondit ſe ita relatu accepiſſe ab iis qui certò ſe ſcire dicerent, rem hanc ita accidiſſe: quare non mirum ſe aliena relatione deceptum, veritatem non eſſe conſecutum. Anno ſequenti 1537, ex præcepto Regis ad carceres plurimi pertrahuntur, inter quos eximii duo viri & de Catholica religione optimè meriti, pręfecturę in ſuo vterque collegio decorati dignitate, captiui abducuntur. Horum vnus erat Guardianus Cãtuariẽſis Pater Reſibe, Guardianus Richiuotenſis alter, Pater Riche. Hi multi, vltròque citroquè cũ regię factionis hominibus verbis habitis, rogantur tandem vt abſolutè animi ſui ſententiã proferãt, an nimirum regẽ ipſum Anglicanę Eccleſię caput velĩt declarare, quod ſanè, tanquam rem faciam, palam & apertè negabant ſe facturos. Retrudũtur in carcerẽ, vbi grauiſſimis

moleſtiis toleratis, compedibus fer-
reiſque aliis vinculis adeo atrociter
preſſi fuere, & arctati vt ſingularis
patientię dederint inditia quã plu-
rima, húmi cum nocte tũ interdiu
iacentes. Non ita multo poſt tempo
re educuntur venerabiles patres ex-
tremo ſupplicio afficiẽdi, quaſi ve-
rò miſerãda eorum captiuitas parũ
ad pœnam momẽti haberet, niſi a-
trociſſimo quodam tormentorum
genere ipſos afficerent. Imponũtur
itaque vehiculis quibuſdam, nõ ab-
ſimilibus iis quibus ad ſupplicii ex-
tremi locum pridẽ erant vecti Car-
thuſiani patres, dum Regis imperio
non minus quàm iſti parere nolũt.
Vehiculũ aũt iſtud rotis nullis ſuble
uatur ſed tantũ per terrã trahitur, vt
non dubiũ ſit quin & hoc non parũ
fecerit ad augendã pœnã. Hos eo ve-
hit ſatelles impiꝰ nihil quã crudelita
tẽ in ſãctos patres anhelãs, ad ſuplicii

locū vt ventū eſt, crucē quàm altiſſimam viderūt ac iuxta eam lebetem qui ſubſtructum ignem haberet, hic bullienti erat aqua repletus, coguntur que ſingula ſupplicii genera inſpectarē, tum vt pœnæ fiat augmentum, tum etiam vt ſi aliqua ſpes eſſet ſanctum ipſorum inſtitutū frāgēdi, hac ratione fieret commodius. In ſculas poſt modum pertrahitur Guardiannus Cantuarienſis, in quibus dum cōſtitutus eſt, repentè accurrit Regius nuntius, mandatum Regis adferens vt ſe Pōtifici renuntiare velint, libertatem conſequantur & iubeantur viuere. Verùm nihil proficit nec Regis nec nuntii impietas. Perſiſtunt in ſententia & Pōtifici nuntium mittere planè nolle ſe dicunt ſed pro ſancta ſua matre Eccleſia, potius mortis etiam genus atrociſſimum ſubire. Itaque circa Gard. Cātuarienſem inſtat carnifex

his ſæpius verbis vtentem voluntariè ſacrificabo tibi & cófitebor nomini tuo, quoniam bonũ eſt. Præceps ergo de ſcalis deiicitur, moxque reſciſſa corda corpus recipitur viuum in terrã decidens. Huc inuſitatæ crudelitati, tormenta perfecturus accurrit lictor, ac primum membra virilia abſcindit, cor ex corpore, aperto ventre reuellit, quod dũ manu tenet, vniuerſo inſpectáte populo, ſaltitat, illudque ipſum poſtea in ignem cum inteſtinis cóiicit. Præſcinditur ipſi poſtmodum ſecuri caput, atque in quatuor partes totum corpus diuiditur, quæ omnes in lebetem coniectæ ſunt, ſtatímque inde extractæ ad portas ciuitatis Londinenſis ſuſpenſæ: caput verò eius, vt communis mos eſt Anglis, cùm morte afficiuntur illi qui proditionis ſunt rei aut aliâs ob crimẽ læſæ maieſtatis, cődẽnatis, in pó- *Pſal. 53.*

te publico ſtipiti impoſitũ, erectum fuit. Poſt huius Patris mortem, Pater Guardianus Richiuotenſis ſcalas aſcendit cui iam pleríque, cùm eum viuere vellent, perſuadere conabantur, vt turpiter ne moreretur, ſentẽtiam mutaret. Ad quod ſanè induci non potuit, ſed tanquam ridicula, verba ipſorum reiecit. Quod conſiderantes crudeliſſimi ſatellites, maiore longè furore hũc ſunt aggreſſi, ſtatimque eum è ſcalis deturbant, mox pręciſo fune in terram decidit corpus, viuum adhuc vt etiã prioris patris. Hic ventrem aperit carnifex vt cor extrahat. Hoc vbi attigiſſet homo nefarius, quod habes in manu, inquit Pater, ſacratum eſt Deo. Extrahitur itaque magna quadam crudelitate cor ac in ignem conijcitur, ſecuri pręſcinditur caput & poſtea totũ in quatuor partes diuiditur corpus, quas ea ratione vt & prioris

Patris in lebetem conijcit vt decoctę fętorem non contraherent, dum ad portas ciuitatis ſtipitibus impoſitæ populo omni exponuntur conſpiciendæ. Hoc modo vterque Pater diem clauſit extremum, martyrium paſſi atrociſſimo ſupplicio & non niſi peſſimis malefactoribus conueniente.

Qua ratione Reuerendus Pater Antonius Brorbe ad impijs Regij iudicij miniſtris fuerit exceptus.

EODEM anno 1537. menſis Iulij die 19. Reuerendus Pater Antoni9 Brorbe vir cum in humanis tum in diuinis litteris apprimè verſatus, linguarum etiam Gręcæ & Hebraicæ callentiſſimus, Theologia licentiæ gradum adeptus in Oxonienſi academia, ex collegio Diuæ Magdalenæ, vnde tanquam ex equo Troïano ſummæ eruditionis viri veniunt prodiens, vſque adeo

furorem Regis effugere non potuit vt etiam ſimilem cum alijs mortis aliam ſubire cogeretur, libidine Regem ad peſſima quæuis deſignanda flagitia, impellente. Apprehenditur itaque vir optimus & in carcerem conijcitur. Queſtionibus poſtmodũ ſubiectis, acerba adeò ipſi tormenta adhibeantur vt os oſſi vix hęreret, dum ſinguli propemodum corporis articuli loco diſtrahuntur, quæ certè pœnarum vis cum fortiter & conſtanti animo à bono Patre fertur, incredibilis non dubiũ debuit, fuiſſet conſtãtiæ martyrij ſubeundi ſtudium. Plagæ adeò acerbæ fuerunt vt per continuos viginti quinque dies in lecto voluere ſe nequiuerit, manus etiam ad os leuare minimè valuerit, tam fuerat atrox illud tormẽti genus. Acceſſit tamẽ vetulę cuiuſdam mulieris adminiculum quæ miſeratione adducta quæ ad victum

erant neceſſaria ipſi ſuppeditabat & quo non poterat vir optimus fungi manuum officio vt ad os cibum deferret, ipſa ſubiuit. Mittitur ad hunc tandem carnifex mandato Regio qui Patrem ea quam ex D. Franciſci inſtituto geſtabat corda, in lecto collocatum omni miſeriam genere abundantem ſtrangulauit.

Quis fuerit vitæ venerabilis Patris Thomæ Cortt, exitus.

HOc ipſo anno, eodémque mẽſe, nimirum 1537. Iulij verò die 27. alius quidam Pater, nomine Thomas Cortt, genere nobilis, nobilior tamen eximia, qua pollebat, dicẽdi facultate, implacabilem Regis furorem non dubitauit in ſuggeſtu pro concione publica cum capitis ſui periculo incitare dum grauiſſima oratione in indomitam Regis ſuperbiam & ſæuitiam ſumma

cum impietate coniunctam, inuehitur. Nihil enim verebatur ſupplicia, qui ſemel conſtituerat pro nomine Chriſti vitam cum morte commutare. Vt enim erat in ſacris literis quammaximè verſatus, legerat profectò & menti ſerio impreſſerat Ma-

Mathei. 10. Lucæ 12. thei illud 10. & Lucæ 12. capitibus. " Mathęus quidē vbi ſic habet, verba " Chriſti recitandus. Cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Cōtigit hoc in Eccleſia ſancti Laurentij Londini, quó etiam in loco apprehenſus eſt ſtatim & ad carcerem abductus, qui portæ nouę nomen habet. Conijciuntur in hunc malefactores maximi, fures, latrones & ſimilis ſortis homines. Adeò autem locus hic fœtidus eſt & teter & vt pœdore & ſquallore pius pater extinctus glorioſè migrarit ad

Dominũ.Exemplũ profecto Chriſti hac in re ſecutus eſt vir longè excellentiſſimus. Videns ſiquidẽ Chriſtus Eccleſiá ſuam militantẽ, multis miſerijs fore obnoxiã,ad noſtram ſalutem perficiẽdam in terra cõſtitutus, voluit ipſe non ſolùm moleſtijs corporis animi que angorib⁹ infinitis agitari, verũ etiam atrociſſimũ crucis ſupplicij gen⁹ ſubire,vt nobis exemplũ relinqueret. Vnde Apoſtolus *1. Petr. 2.* Petrus primę ſuę epiſtolę capite ſecũdo, Chriſtus inquit paſſus eſt pro " nobis,vobis relinquẽns exemplũ vt " ſequamini veſtigia eius. Secutus eſt " certè veſtigia eius,dum cum iniquis optimus ipſe computatur & pro eo ſquallore carceris extĩgui ſe nõ ęgro animo acceperit verum ad id,quantumuis etiã per acerbi⁹ ſupplicium, paratiſſimo. Pro eo (inquit Iſaias 53. *Iſaias. 53.* capite) quod tradidit in mortẽ ani- *Lucas 22.* mam ſuã & cum ſceleratis reputat⁹,

eſt, vt etiã 22. capite eſt apud Lucã. Adamuſſim ſibi Chriſti exemplum hac in parte ſecutus eſt,dum cũ ſceleratis reputatus,mortem in carcere infinitis moleſtijs prçcedentibus incurrunt. Nó voluit tamen iſtius viri ſanctitatem ita cum morte interire Deus, nec carceris ita tenebris obſcurari quin ſigno aliquo oſtenderet quam ſibi gratus fuiſſet vir longè ſanctiſſimus, dum immenſo lumine totum carcerem replet,omnibus qui prçſentes aderant, videntibus & ſtupentibus ad rei nouitatem & magnitudinem. Tantopere verò res iſta Regis perſtrinxit animum vt cũ ipſe alioquin optimis quibúſque eſſet infeſtiſſimus,mandat tamẽ ſuo ſuique Regij concilij ſepulturæ mãdari corpus volunt. Sepultum eſt itaque corp⁹ in cœmiterio ſancti Sepulchri prope maiorẽ portam Ecclẽſiæ,cui ſuperpoſitus exiguus lapis cũ

inſcriptio-

inſcriptione adhuc hodie perdurat.

INſcriptio verò hoc ſenſu ibidem eſt inſculpta.

Hac tu qui tranſis Chriſto deuote viator
In precibus, quæſo, ſis memor ipſe mei.

Collocatus verò eſt hic lapis vnà cũ inſcriptione expenſi, piæ admodum matronæ Margaretæ Herberti vxoris opificis cuiuſdam qui chirotecarum textura quęſtum faciebat.

Pater Thomas Belchiam vir longè doctiſſimus magnis editis conſtantiæ inditiis fame extinctus eſt.

MEnſis Auguſti die tertio eiuſdē anni 1537. Thomas Belchiam Sacerdos & prędicator, ætatis ſuæ 28 anno, incredibili alacritate & conſtãtia conatibus Regis ſeſe oppoſuit: apertè Regem hęreticum eſſe declarans, quam rem vt magis confirmaret, qua erat ſingulari eruditione, librum ad fratres contra ipſum

in lucem emiſit, qui incipit. Mollibus induti veſtimentis in domibus Regum ſunt. Verba, chariſſimi fratres, ſunt ſaluatoris, &c. Aperit hoc in ſuo opere viuendi rationem quę paſſim in aulis ſeruatur. Tantam enim & tam horrendam vitiorum omnium ſentinā ibi reperire eſt vt trito quidem illo, veriſſimo tamen adagio, ea celebretur, dum dicitur. Exeat aula qui vult eſſe pius. Tātum enim abeſt vt ibi pietatis aliquid ferè comperias, vt etiam flagitia omnia cuiuſuis generis peſſima, cumulatiſſimè ibi cùm pullulent indies, tum etiam quotidie ſuccreſcāt, non parum quoque clericatus Anglicani auaritia offenſum ſe fuiſſe facilè declarat, cùm in illā prolixè admodum inuehitur, rem indignam deteſtatus in clero, qui hoſpitalitate liberalitèque cœteris omnib⁹ anteire deberet: nec minus ibi taxat Epiſco-

Matt. 11.

porum incõſtantiam qui obfluxam hanc vitam & externa bona malunt Dei iram incurrere, quàm Regi, quã debebant, cum vitę etiam diſcrimine, patefacere veritatem. Doctiſſimi huius libri exemplar vnum reliquit in manibus fratrum ſuorum minorum in conuentu Grinuuich, alium verò in carcere, in quo etiam fame oppreſſus magna animi conſtantia vitam cum morte mutauit. Tãta verò fuit famis iſtius vis vt exhauſtis, vniuerſis virib⁹ inter carnem & oſſa vix eſſet aliud, adeo quicquid ad mortalis iſtius vitæ ſuſtentationem attinebat, fuit ſubtractũ. Sęua enim crudelitas dũ vno ſupplicij genere minimè ſe proficere ſentit, alia & alia tentat, ne perpetuò ſuccumbẽs, ijſdẽ repetitis ſupplicijs, dum tamen adhuc in alijs ſpes eſt ſita, eorũ quos occidit maiores faciat victorias & triumphos. Poſtremum hoc exem-

plar in carcere relictum Regi allatum eſt qui quantumuis incredibili in religioſos viros odio æſtuaret, non ita tamen animum habuit occęcatum vt ſyndereſi omni ſublata, malè ſe agere non aliquovſque perſentiſceret, ita vt librum legens lachrymas cohibere non potuerit & in fletum erũpens, grauiter ſuã hâc miſeriam deploraret, ita dictante conſcientia cuius vis non omnino erat extincta, quin multę adhuc eius tanquam ſcintillulæ quędam relucerẽt reliquię: interim tamen cor ſuum adeo obdurauit vt ſciens meliora eadémque probans, deteriora ſequeretur, adeo vt librum quem in archiuis collocatum oportebat aut in celebri aliqua bibliotheca omnium oculis exponi, aut etiam pręlo commiſſum in luce tandem collocari, ignibus tradendum putarit, idemque mandauerit. Quod

ad exemplar aliud, conſeruatur id quidem ſumma cum diligentia, latet tamen adhuc lucis expers quod propediem ſi fauebunt ſuperi, ex tenebris extrudemus in lucem ac tunc manifeſtum euadet omnibus quàm ſyncero animo quamque parum fucato & ad oſtentationem compoſito ſcripſerit hic author idē & martyr, qui omnia, etiam vitam, libri iſtius ſcriptione negligere, publicáque fidei confeſſione ſuęque ſententię aſſertione mortem incurrere maluit quàm à diuinis placitis vel latum vnguē diſcedere. Verùm vt eſt mirabilis vbíque Deus in ſanctis ſuis, conatus ipſorum tyrannorum, aliquando non prępotentum principum authoritate aut fortitudine cōfundit, verùm vtitur ad hoc perficiendum pauperum ſubinde, non rarò puerorum, imò quod admirandum eſt magis fatuorū operâ.

Quod hic manifeſtiſſimum fuit dũ delirus quidam qui à natiuitate rationis vſu priuatus fuit, Guilelmus Sommer nomine,per vniuerſam aulam curſitat magna vocis cõtentione in hęc verba prorumpens, ſimplicitas vnius mendicantis frangit
Pſal. 8 ſuperbiam Regis. Ex ore infantium & lactentium laudem ſuam perficit Deus,nouo & ſingulari exemplo ex fatui ore ſuam voluit hic laudem Deus perficere. Venit & hoc obſeruandum circa huius Patris mortem quod dum ea inſtante animam Deo commẽdat magno quodam animi deſiderio quo in patriæ cœleſtis cogitationem aſſurgebat, ea terrę trepidatione concuſſa fuerit, vt vniuerſalis terrę motus eſſe putaretur. Mirabilis fuerat vitę ſanctimonia clari
Pſal. 115. hominis, quid mirum ſi mors eiuſdem mirabilis etiam fuerit. Pretioſa ſiquidẽ in conſpectu Domini mors

ſanctorum eius. Fecit & hoc olim ſępius Deus Optimus Maximus vt fundaméta ædificiorum etiam idololatricorum templorum cómoueret, ſubinde quoque ſubuerteret, idolis ipſis etiam ad terram proſtratis, vt hac ratione glorificetur vbique in ſanctis ſuis, perterreat nefarios iniuſtiſſimi ſupplicij miniſtros, confirmet ſuos & iræ ſuæ certiſſimũ cunctis, potiſſimum ſceleſtis, det inditium. Inſtante iam omnino morte, hunc ſibi pſalmum recitandum qui inter cęteros eſt numero trigeſimus, ſumpſit, nimirum. In te Domine ſperaui, non cófundar in æternum, quem vt maiori attentione legeret, fecit hoc aperto precum libro qué penes ſe habebat, vulguaríque nomine breuiarium nuncupamus. Quo dicto animam Deo reddidit, martyrij ardore flagrantiſſimus: extractus poſtea ex carcere iſto portæ *Pſal. 30.*

nouæ fœtidiſſimo & ſepulturæ mã-
datus. Aſſiduis precibus ita ſemper
fuit addictus vt cum corpus nimiis
iam ſub vitæ finem moleſtiis & mi-
ſeriis infinitíſque calamitatib⁹ eſſet
attritum, de orandi tamen ſtudio
nihil omnino remiſerit, verùm to-
tam illam quæ mortem pręceſſit
noctem, inſomnum ducens, variis
orationibus Deum precari auditus
ſit. Hęc vt ad Regis aures delata ſunt
authore Comite de Zouthamton
cognomine Vuriſele (cuius etiam-
num filius eiuſdem loci Comes eſt)
qui incredibile planè eſt quàm fra-
tres hos ſyncero animo diligebat,
cum tamen Regi etiã ipſi eſſet lon-
gè gratiſſimus: reliqui octo fratres,
è carcere, libertate donati, emitũtur,
ad quod perſuadendum ea ratione
apud Regem iam etiã fiſci ſui emo-
lumentis ſatis ſtudentem vtebatur.
Comes quod nihil omnino habe-

rent Franciſcani quo fiſcus Regius poſſet ditari, adeo ſæpe prędę inhiant, incredibili quadam habendi cupiditate æſtuantes quamplurimi principes qui nihil magis in votis habent quàm ditiſſimorum quorumque vitæ inſidiando, eos per fas & nefas in carcerem detruſos, morti adiudicare, vt hac ratione optatis, eorum bonis potiantur. Familiare fuit hoc olim Imperatoribus aliquibus Regibus nonnullis, ac aliis Principibus confictum aliquod crimen in eos ſtruere, quod ad hęc perficienda valeret. Emittuntur itaque octo iſti, inter quos duo erant laïci quorum nomina me, vt quod eſt, dicam, latent ſuperſunt ſex, quorum quatuor, quæ accepi, hæc ſunt nomina, Pater Thomas Pakingtó, Bonauentura Roo, Ioannes Tuhit & Richardus Carter, qui quidem Angliam relinquentes, in alieno

ſol viuere maluerunt quàm impio decreto ſubcribendi periculo perpetuo exponi. Propter fidem ergo exules, per multos annos cùm in ſcotia tum in Belgio degerũt. Multi tandem eorum qui carceribus erant mãcipati, famis & frigoris aſperitatem non ferentes, ad quod plurimũ etiam faciebat, dies ſuos finiuerũt in ipſo captiuitatis loco, qui fuerũt numero 32. cum priùs dum in carceres contrudũtur, bini catenis cõſtuctiad diuerſa loca per totum regnũ mitterentur, vt ibidem in carceribus conſtituti diem clauderent extremum, operá ſuam inhoc nauante prędicto Comite de Zouthamtó, quòd, cùm Patribus iſtis impenſè faueret ſemper, gratificaturum ſe illis arbitraretur ſi lento iſto carceris tædio potius afficerentur quam mortem quæ non dubium erat quin crudeliſſima ſequeretur, ſubirent. Paupertas his

patrocinari voluiſſe viſa eſt, cum id diuitiis proprium & peculiare eſſe alioquin omnibus videretur, hic ſanè diuitias habuiſſe ſub Rege ſatis auido fuit multis capitale. Eo enim iſta habendi libîdo proceſſit, vt Abbatiarum, aliorumque monaſteriorum, bona obſcurata ſint vniuerſa dum fiſco Regio addicuntur: quod quidem quantum damni Cleri totius ſplendori dederit, tum demum eluceret maximè ſi ad ſanam mentem Anglos, Deo propitio, contingere reuerti. Vbi enim prius rerum omnium etiam externarum copia erat Florentiſſimus: pleriſque exutus comperietur: quæ res ad ſtabiliēdam ibidem ſtatim veram fidē non omnino nihil adferet incommodi. Poſtea Rex conſcientiæ ſtimulis mirum in modum exagitatus dum adeò ſubito ex optimo factus eſt peſſimus, ex Catholicæ fidei defen-

ſore, eiuſdē hoſtis, ex Eccleſiæ propugnatore deſertor & propugnator: cū nefandas has à ſe perpetratas cædes cogitat, cū in animum venit quā iniuſtè innocētiſſimum quęque tot tantíſque ſuppliciorum generibus affecerat, vicem ſuam deplorans, torqueri animum ſuum dixit plus vel vnius Franciſcani interitu quam aliorum omnium cuiuſcunque tādem fuerint ſtatus.

Reuerendus Pater Ioannes Foreſt qui Reginæ pridem fuerat à confeßionibus quanta pro Chriſti nomine fuerit paſſus.

DVM Rex ad peiora indies conuertit animum, vnum aliquem ex Franciſcanorum numero putauit apprehendendum quod metueret furori ſuo & malefactis eum poſſe obuiare, timens etiam maximè ſeditionem nobilium qui non niſi iuſtiſſimis de cauſis ſe potuiſſent in

Regem armare, tum quod ſummà nobilitate erat vxor eius Catharina quam repudiarat, vtpote potentiſſimi Imperatoris Caroli quinti amita, quo quidem Principe nihil erat ſanctius, nulliuſque magis pectus Catholica religione imbutum: qui potentia qua valebat & poſſet, & quo ferebatur in amitā fauore vellet male ſani Regis vim retundere: quod & factum fuiſſet niſi grauioribus impedimentis fuiſſet detentus: tum quod vitæ ſanctimonia & morum honeſtate nullam haberet ſecundam, matrona certè omni laudum genere cumulata, vxor etiam pridem defuncti iuuenis principis Arcturi, Henrici fratris optimi. Quare tot ſimul dotibus, virtutibus, meritiſque concurrentibus, non poterat non optimo cuique qui regni ruinam hac abdicatione facilè imminere cernebat, eſſe gra-

tiſſima. Hæc vt rebus diuinis quammaximè erat addicta: ſingulari ſapientia & virtute virum ſibi delegit, qui ipſi eſſet à confeſſionibus. Erat huic nomen Ioannes Foreſt Franciſcani inſtituti, ordinis eius quem vulgò appellant de obſeruãtia, in Theologia lòngè verſatiſſim⁹ vt non in meritò ad hoc officium à matrona adeò pietati adiecta fuerit ſelectus. Perſpiciebat enim ea vt erat acri admodum & ſupra fœmineam conditionem ſtupendo iudicio, in ſacerdotibus virtutem ſcientia rerum diuinarum debere eſſe fultam, quæ quo in aliquo eſſet maior, etiam in pretiò eſſet habendus: qui

1. Temot. 5. enim benè præſunt præſbiteri, duplici honore digni ſunt, & ex ore

Malac. 2. ſacerdotis requirit Deus ſcientiam. Hic ergo ipſi viſus eſt idoneus quẽ ad hoc officium promoueret: Verũ neſcio quo fatali (ſi ita loqui liceat)

Angliæ exitio contigét vt hic idem eſſet quem Henricus de gradu dignitatis deturbatum non ſolũ vellet in ordinem redigere, verumetiã putarit incredibilibus tormenti eſſe afficiendum niſi priſtinæ virtuti nuntium mitteret. Cauſa hæc fuit. Inſigne opus conſcripſit dictus Pater Ioannes Foreſt de ea materia quæ illi tempori quammaximè cõueniebat, titulus erat de authoritate Eccleſiæ & Pontificis Maximi, cuius quidem libri initium hoc erat. Nemo ſibi ſumat honorem niſi fuerit vocatus à Deo tanquam Aaron. In hoc libro vt talem virum decebat grauiter admodũ inuehitur in Regis ſuperbiam & impietatem quòd luculentiſſima Apoſtoli verba non conſiderans, vocatione omnino nulla præuia non dubitarit Anglicanæ Eccleſiæ caput ſe appellare: qui Eccleſiæ membrum ſi fuiſſet, Hebr. 5.

habuiſſet profecto abũdè quod gauiſus fuiſſet. Sumpſit itaque ſibi honorem non vocatus, honorem dico cuius ipſe capax non eſſet, cumque quem nõ ſibi arrogare, ſi capax fuiſſet, ſed oblatum forte debebat recuſare aut certè omni cum animi deiectione ſuſcipere. Sublimius aliquid ſpirabat quàm Aaron, qui nequaquam ſibi ſumpſit ſacerdotiũ quãtumuis apud ſuos eſſet illuſtris & de gente Leuitica, cui hic honor erat peculiaris. Itaque res hæc quæ in Theologia abſolutisſimo viro ſalutis debebat ſuppeditare materiam, hæc ipſi exitii fuit cauſa, ſi corpus hoc mortale ſpectes: ſin animam, nõ dubium quin fuerit ſalutis. Liber hic quantumuis iam ab authore eſſet conſcriptus, nondum tamen erat emiſſus in lucem, tamen iam prælũ præparabatur quo excuderetur, adeo ſalutis ipſius Henrici amore fla-

grabat

grabat ſanctus Pater, non dubitans in apertum vitæ diſcrimen ſeſe cójicere, modò aliqua ratione labaſcenti Angliæ opem ferret. Nulli enim prudenti viro obſcurrum eſſe poterat Regis hæc ſtudia ad extremam facilè regni iſtius ruinam tendere, vt vera fide exulante, Barbari in id errores irreperent, qui gentem pietate olim Florentiſſimam in miſerrimam hæreſeon omnium ſeruitutem cójicerent. Codicem hunc ne ſibi furtim eriperetur optimus Pater diligentiſſimè aſſeruabat, cum ita rumor omnis de præſtantiſſimi operis æditione latere non potuit quin aliquis ad Henrici aures ſtatim maleuolorũ aſſentatione fuerit delatus: quod vbi ipſi innotuit, diabolica quadam aſtutia, nequitiam potius & impietatem appellauero, quàm aſtutiam, ad ſuam propriam pernitiem vſus, ſuorum aliquem,

ſuum non diſpari modo euomant, columbina enim ſimplicitate tecti, ſerpentinos in animo dolos circum ferunt, quorum linquæ incredibili ſuauitate linitæ, tanquam gladij ancipites ſcindunt, dum inimicitię petra quæ inuidia eſt, exacuuntur ad contumeliam. Atqui cum eorum mores in mentem reuoco, exhibet ſeſe mihi illud D. Gregorij qui hoc modo de Anglis loquitur, Angli, generaliter inquit Angeli, quod quidem ſi ad huiuſcemodi mores referas, nihil in Anglis quibuſdam inuenies ſimile quandoquidem, illi multorum mores ſunt, qui ab Angelico candore longè degenerant. Non quòd velim ex meo hoc dicto aliquis reprehendi à me Angliæ Apoſtolum dignißimum arbitretur, ſed quòd non ita generali intelligendi ratione hæc verba ſumenda eſſe

exiſtimem. Angli ergo à vultu angelico vt qui plerūnque ipſis mira quadem colorum ſuauitate eſt decoris aut ſanè tāquam perfecti vt Angeli dicūtur qui apicem illum creatæ perfectionis obtinent vt ad bonos nō iteri ad malos hoc referatur, niſi & hoc ad malos referendū eſſe putemus, vt Angli appellentur Angeli non quidem boni illi cœleſtis beatitudinis participes ſed mali qui rectum vitæ tramitē ſupercilio elato deſerentes cum ſeſe ad ſummū dignitatis faſtigium conantur eleuare, caſus conſequuntur duriores & acerbiores. Atqui non id immerito certè ſumimus quod medium Angli complures non patientut vt probè aut cum boni, ipſis ſemper aut cum malis conferri poſſint. Mali ſiquidem inter eos dum ſemel ma lum amplexi ſunt, proni deinceps in omne ruunt malum eorum qui-

ous ſemel nomẽ dedere vaniſſimas opiniones & ſectas, mordicus omnino tenentes, de animæ ſalute, cauſæ que iuſtitia tam ſoliciti quã qui nihil, adeò ſuis addicti, vt diabolum ſi quis ſuorum vt anteſiquanum coat & vereatur: manus hoſtes noſtri acerrimi, ſint (vt vernacula phraſi vtar) deoſculaturi. His adormare mendacia, ſimplices opprimere, neque lucem fidelibus externa quadã ſanctitatis ſpeciè omnes fallere, ſpurciſſima reddere omnia ioc⁹ eſt. Conſcientiæ verò vniuſcuiúſque ita inſidiantur, vt quin plaga eam læthali feriant, ceſſent nunquam: diẽ, ſi poſſent, oculis hominum eriperent. Quæ res non ferenda profecto eſt amplius. Nam hæc illorum ſtudia vel optimè alioqui valentes, dũ ſanam de negotio fidei tenent doctrinam, peſtilente illo ſuo ſpiritu inficiunt. Tollendus & eradicandus

erat iampridem hic illorum error. Quod quia non fit, metuendā eſt punitio maior & diuturnior. Nam creſcentibus peccatis, ſimul & pœnæ creſcunt peccatorum. Sed vnde digreſſus eſt noſter ſermo, eò reuertatur. Improbus itaque ille & impius aſſentator diuinarum rerum iudicióque diuini nullam rationem habens, obtenta confitendi copia peccata forſitan quædam recitat, verum in hoc magis, phariſaicam quandam amplectēs ſuperbi animi declarationem, quamuis id non ſerio putaret, de alio tamen, fictæ pietatis ſpecie loquitur: & vt alios, maximéque publicarum phariſæus cōdemnabat, ſic hic Henricum, diſpari tamen faciendi ratione condemnat, dicens, peſsimè Henricum feciſſe, parumque ſaluti ſuæ conſuluiſſe cum vicarij Chriſti authoritatem quam non debebat, ſibi

vſurpat. Hanc, eius fictam narrationem, veris argumentis multíſque ſacræ ſcripturæ authoritatibus ſibi putauit optimus Pater eſſe con firmandam ſtabiliendamque, dum omnia huc pertinentia meditata haberet, quamuis ſeriò non omnem ab homine ſceleſto peragi arbitraretur. Abſolutione ab optimo patre obtenta, multiſque verbis vltrò citróque habitis receſsit homo nefarius, & ſingula Regi Henrico retulit, qui acerbè ferens ſuis ſtudiis contradici, ſatellites miſit qui eum apprehenderent quod & fecerunt deducentes ſanctum Patrem ad carcerem qui portæ nouæ ſortitus eſt nomen. Hic compedibus maniciſque ferreis ita ſtringitur vt diebus aliquod ibi relictus ſummas pertulerit moleſtias. Elapſis paucis poſt diebus, educitur inde

ſiſtendus Regio concilio, vt explorarent qui in eo erant cóſtituti vtrũ ſententiam quam mordicus prius defenderat, vellet reuocare, prædicaréquę Regem caput eſſe Anglicanæ Eccleſiæ. Ipſe vero erecto & cóſtanti animo à Catholicæ Romanæ Eccleſiæ placitis vel latum vnquem non diceſſurum ſe affirmauit, mortem malens oppetere grauiſſimis etiam tormentes comitatem. Qua eius confeſſione audita mox in carcerem eſt remiſſus ſimili planè quo prius modo legatus. Rex verò iterũ ſolitis conſcientiæ ſtimulis exagitatus mirum in modum fuit. Verum cótigit hoc ipſum Regi quod olim Pharaoni Regi Ægiptiorum, Iu-
Exodi. 10 dæis etiam, modóque iiſipſis hæreticis accidit. Iudæi profecto olim non dubiis ſiquis perſpiciebant facilè. Meſſiam eum eſſe prædictum in lege & prophetis Ieſum Chri-

tum Dominum noſtrum, verum
perpetuis contra conſcientiam (vt
ita dicam) velitationibus id effece-
runt vt non iam Meſſiam & ſalua-
torem ſed ſeditioſum & malefa-
ctorem eum haberent: Pharao quo- *Ioannes 18*
que quantumuis euidentiſſima vi-
deret diuinæ poteſtatis inditia, cor
suum tamen obdurauit ne dimit-
teret Iſraëlem. Moderni hæretici cō-
tra conſcientiam hanc pugnare nō
modò non putant eſſe nefarium,
verùm etiam neceſſarium ſi quis o-
portune velit illorum eſſe miniſter,
vt Lutherus offerentem ſe in clien-
tem reiecerit quod diceret angi ſe
adhuc & animo non poſſe eſſe ſe-
reno & pacato, quod conſcientiæ
morſu extimularetur. Vade, in-
quit Lutherus, contráque hanc de-
certa, vbi euiceris ad me reuertere,
futurus mihi idoneus miniſter. Si-
mile quid in Rege factum & vt

dum malefacere aſſueſcit, contra conſcientiam propriam crudelitate maxima, optimos quóſque interficiens, eam ita obliteratam propemodum extinxerit. Itaque crebra tantæ tyrannidis cogitatio, dum illum nondum ſinit ſereno planè eſſe animo: ſæpius miſit ad ſanctum Patrem: duos ſubinde, aliquando tres, qui illi ſuaderent vt ab opinione hac diſcederet, nec pertinaci animo Regem in ſe armaret, quem ſcirent ſatis iam exacerbatum, promittentes fore, vt non ſolum vita ipſi ſalua permitteretur, verum ad ſummas etiam eueheretur dignitates, de diuitijs etiam aliíſque quę communis huius vitæ vſum ſpectant, nihil defuturẽt, Aries hic validus erat admodum. ſed non ita qui arcis adeo munitæ muros poſſet diſſoluere. Perſiſtit itaque in concepta ſententia, at-

que iterum multis hoc incultat,
e grauiſſima etiam pati eſſe para-
um quam Deum, hac in re vlla
x parte velli offendere, quòd ſci-
et Regem per ſummum nefas Ec-
leſiaſticam hanc poteſtatem & au-
horitatem ſibi vſurpare: præcla-
um eſſe addens per poênas ad cœ-
eſtia gaudia tendere. Tempeſta-
em hanc oboctam eſſe ob ſua ac
populi totius peccata, quæ qui-
lem vt in illo populo grauiſſima
uerant, ita etiam grauiſſimè pu-
iiorit Deus, eo nimirum punitio-
nis genere quo maius dici aut co-
gitari non poſſit, deferens planè
eos & in errorum ſentinam labi
permittens. Incuſat itaque ſua &
populi peccata, hac oratiumcula
vſus, Parce Domine, parce po-
pulo tuo. Redeunt ergo re infe-
cta qui niſi fuerant, quòd vide-
rent maiore conſtantia eſſe Patrem

vt mortem oppeteret, quàm potuiſſe ſe vt vitam ipſi ſeruarent incolumem. Quatuor pòſt trãſactis diebus ad concilium (quod aſſeſſionis vulgari apud Anglos nomine appellatur) mandato Regis pertrahitur, quod quidem concilium ſemel in menſe congregari ſolitum eſt, adductis eò malefactoribus, infinita hominum copiâ ibidem pręſente. Cõuenit huc vniuerſum Regium concilium. Hic grauiter accuſatur tanquam reus lęſæ Majeſtatis, quòd Regi ſuo eſſet refractarius, dignitatémque Regiam non imminuere modò verumetiam vellet extinguere, dum necquicquã vult appellari eũ caput Eccleſiæ Anglicæ. Hæc ſimiliáque multa, objiciuntur optimo Patri, lectis etiam ex ſcheda quibuſdam articulis, quodam ex his qui de Conſiſtorio hoc erat clamante, Ioannes Foreſt Franciſcane: dic ſi perſiſtas in

pinione qui Regi tuo quàm ſis re-
pellis omnes nos apertiſſimè vide-
mus & proinde in mortis non ſis
eus. Non ignorauit ſanctiſſimus
Pater mortem ſibi parari quam tã-
ũ abeſt vt exhoreret vt eam etiam
ummis votis inferri ſibi optaret.
Ad Deũ itaque conuerſus,hac prece
ſus eſt. Gratias tibi ago Domine
Deus qui peccatorem miſerrimum
d ſummam gloriã vocare dignatus
s,vt pro nomine tuo ego hodierno
lie fidem veram quam colo,hic co-
am omnibus profitear, & quid de
ua ſponſa, caſta illa immaculata,
nica, Catholica, Romana Eccleſia
entiam,liberè indicem. Non enim
imeo Regis minas, floccifacio eius
upplicia quæ mihi ob cauſam fidei
arari non dubito, dignitates terre-
nas tantum abeſt vt petam aut am-
piam vt etiam nõ admittam, verum
nortem libenter ſubibo. Hanc eius

in dicenda ſententia ſua cõſtantiam conſiderantes Duces, Comites, aliíque complures nobiles ibidem pręſentes: ſi, inquiũt, eæ in te, quas iſtas, ſunt virtutes, nimirum non te exhorreſcere mortẽ, libenter conſtantíque animo te moriturum, ſententiámque tuam tenes veriſſimã, ſuggeſtum conſcẽde, diſputationẽ cum hoc incipe. Erãt autem ibidem duo ſuggeſtus conſtituti quorum vnum aſcenderet hic Pater, aſcẽderet alterum Lutheranorum quidẽ doctor ſimul & Epiſcopus, Hugo Latimar nomine, cuius vt, tanquam doctiſſimi Epiſcopi argumentis quæ cõtra ſententiam iſtam boni Patres opponi poſſent, ſi valeret Pater hic reſpondere iubebatur. Suam ergo vterque conſcendit cathedram. Diſputatio inſtituitur acri, admodũ dum infinita aſſiſtẽte multitudine, doctor hic Lutheran⁹ ſedulô iſtiud agit, re,

i ſuccumbat, explodatur. Obijcit er-
go plurima: ſed nihil efficit, quia
cripturarum authoritatibus, ratio-
ibúſque inſtructiſſimus Pater, fa-
ilè eius argumenta & debiles, ratio-
e confutabat. Huc itaque res dedu-
ta eſt vt cum longè ſuperior in diſ-
utando eſſet hic Pater, pectus ha-
ens Euangelica Luce illuſtratum,
iuino etiam pręſente numine, cum
nſuper in ſacris literis eſſet verſatiſ-
mus, obmuteſcere cogeretur do-
tor Lutheranus nihil habens ſoli-
i quod validiſſimis Patris doctiſſi-
ni ſcitis opponeret. Percipit hoc
opulus, qui aliquid videbatur pro
ptimi viri ſalute moliturus, dum
nurmure & ſuſurris alius alium in-
tat. Quod dum conſiderat do-
tor, Regis, Principúmque autho-
tate fultus, memor Lutheranum
e eſſe, parumque doctoris & Epi-
copi curans nomen, cum argu-

mentorum pondere premi ſe videt, in apertam ruit iniuriam, clamans Concburatur, comburatur, Hoc enim extremum erat ipſi refugium vt rei veritate deſtitutus, ratione etiam & iuſtitia deſerta, vim imploraret, quod ſolum hoc haberet refugiorum vltimum. Mox itaque accurunt impii ſatelites & virum optimum ex ſugeſtu trahunt vi maxima ad hoc vſi. Iudex verò ſententiam protulit, mortis reum eſſe pronuntians. Latâ ſententiâ ductus eſt ad locum non ita procul liſſitũ qui nomen habet Smythfilde. Hoc loco patibulum erat erectum, appoſita lignorum, ſtraminum, arundinumque copia quam maxima. Huc dum conſtanti animo venerat Pater, ſuppliciíque futuri inſtrumenta omnia cõſpexerat, magno & erecto animo, altaque voce, Nec ignis, inquit, nec faſciculus, nec patibulum

ſepara-

eparabit me à te Domine. His dic-
is corpori eius veſtem ſuperiorem
letraxerunt catena circa ventrem li-
;ata, atque hoc modo per corporis
nedium eleuatus eſt & ſuſpenſus.
ubiectus eſt ſuſpenſo ignis qui vt
criorem diuturniorémque face-
et pœnam: exiguus fuit, pedes tan-
ummodo eius contingens, cui ac-
eſſit & aliud quod pœnas faceret
;rauiores. Fuit hoc quòd ventus i-
;nem à corpore pendentis flatu ſuo
limouet ita quod ſemihoræ ſpatiũ
:lapſum ſit priuſquam fuerit extin-
ꝭtus. Res hæc dum diuturnitate ſua
juibuſdam tædio eſt, aliquos verò
d commiſerationem commouet
ɔœnarum acerbitas, vento maximè
ontrario: patibulum vnâ cum ipſo
n ſubiectum ignem coniecerunt vt
itius efflaret animam. Erat in his
ɔerferendis conſtanti admodum a-
imo, frequẽter hæc verba, præſenti

rei commodiſſima proferẽs in vmbra alarum tuarum ſperabo donec *Pſal. 56.* tranſeat iniquitas. Erat profectò ea iniquitas maxima, hominem quẽque optimum vt Regis libidini pareatur, morti addicere, meritiſſimũ hũc de Rege regnóque ſummis ſuppliciis afficere: & tamen non defuerũt nequiſſimi quidam, hæreſi proculdubio imbuti, qui vſque adeo in profundum vitiorum demerſi fuere vt cum in laudem viri non cõgerentur aliquid dicere, maluerunt tamen ſilentium hoc maledictione abrumpere: atque vt eorum amplius maledicẽtia omnibus fiat manifeſta ad poſteritatẽ ſuam ipſorũ impudẽtiã & impietatem putarũt tranſmitendam. Quod verò omnium maximè deteſtandũ eſt, fuerunt inter eos qui ſacerdotij dignitate aliis præeminebant, nuntium tamẽ iam Romanæ Eccleſiæ miſerãt vt libertate hac

fulti, licẽtia verè dixerim diabolica, ſuis voluptatibus liberiùs vacarent. Itaque poëmata diuerſa compoſita ſunt quibus ſanctiſſimi Patris fama roderetur, & declararetur nõ immerito mortis hoc genus grauiſſimum eſſe paſſum: inter hæc vnicũ ponã, ex quo tanquam ex vngue leonẽ licebit cognoſcere, & de aliis iudiciũ facere. Ponam autẽ Anglicis id verbis, quib⁹ primo fuit in lucẽ emiſſũ, ic ergo habent Anglici iſti verſus.

Foreſte the frier, that obſtinat lier
That Vulfullye vvil be deade.
n contenẽce thẽ goſpel dothe deni
The kinge too be ſuprem ticade

QVæ quidem verba à malè ſani hominis profecta cerebro, hac atione Latinæ aliquouſque reddi oſſunt:

Dum pauperis es ingreſſus ordinem Patris,
Fuiſti homo quammaximè cum pertinax

Tum pluribus mendacis decipiens
Alios, paratus mortis atrociſsimum
Etiam ſubire genus negans Euangelium,
Eccleſiæ regē caput poſſe eſſe negas.

Videtis ſcriptum impium quod cauſam continet cur morti turpiſſimæ fuerit adiudicatus. Nec enĩ deſunt vnquam, potiſſimum in aulis, aſſentatorres qui abſurdiſſimas etiam Principum opiniones approbent vt eorum captent gratiá: quod vt fiat non dubitent etiam diabolo ipſi ſacrificiũ facere modo id Principi ſuo gratum fore credant. Aliter profecto egit Regina Catharina, quæ dici non poteſt quantum dolorem cum in captiuitate ſancti Patris qui ipſi pridem à confeſſionibus fuerat, tum etiam poſt mortem conceperit, vt ex ſubiecta eius ad illum dum adhuc in carcere captiuus detineretur ſcripta epiſtola patet. Epiſtolæ huius Anglicè quidem cõ-

criptæ, latinam ponam interpreta-
ionem, vt candido lectori manife-
tum euadat quàm fuerit hic ſanct⁹
Pater & ab omni eo vitio immunis
uod ſæleſtiſſimi ipſi audent obiice
e, pertinatiæ mendaciíque eum ar-
uentes: verum mentita eſt iniqui-
as ſibi, & ea quam alteri ſtruebant
alumniam, in eos verè cõpetebat.
piſtolæ ſereniſſimæ ipſius Reginæ
ic eſt tenor. Mi venerande Pater.
Qui in dubiis caſibus aliis conſilio
olet adeſſe, nouit & ipſe ſibi quid
onueniat melius cõſulere, non du-
itans qua es cum pietate tum eru-
itione quin &velis pro Chriſti no-
nine ſi opus erit, mortem ſubire &
ndam tali caſu non refugiendam
ognoſcas. Age itaque & bono ani-
no eſto: nam ſi paucas in hiſce tor-
nentis pœnas ſufferas, æternam (vt
gnorare non potes) mercedem es
ecepturus, qua qui paratus ſit deſti-

tui ego cum grauiſſimè cum ratione inſanire arbitrabor. Me tamen (prô dolor) filiam tuã in vulneribus Chriſti genitam relinques, interim ad tẽpus aliquod ſolum, relinques dico mœſtam me & ſummo mœrore cõfectam, dum eum virum perdo qui mihi in diuinis rebus vnicè colebatur, quod earum cognitione & in Deũ pietate ſummè eſſet inſtruct9. Atqui profectò ſi quod optarẽ, liberè exprimendum eſt, malẽ ego per mille etiam tormẽtorum genera te præcedere, quàm poſt modum ſequi. Verum inimuerò ſi vnicuique quod in votis habet, contingeret ex animi ſententia, quis quæſo diu in ſpe viueret, quapropter propriæ meæ voluntati libenter renuntians omnium iſtarum rerum ſummam penes eum eſſe opto, qui ipſe propriæ etiam nobis dans exemplum, voluntati maluit nuntium mittere,

quàm eidẽ obſequi dicens, fiat voluntas tua. Præibis tu ergo, & profectò præibis verùm efficies vt precibus tuis per idem iter te ſequar, fortiore & conſtantiore (vt ſpero) animo. Age itaque & certò nouis quãtum-cũque ea quæ pateris tormẽta ſint grauia, eorumdem me eſſe participem, quę non dubium, quin immarceſſibilem tibi reddent coronã, piis omnibus & pro Chriſti nomine decertantibus paratam, ſi modò forti & intrepido animo ea perferas quæ in te cogerentur tormenta. Memor ſis nobilis & auitæ tuæ familiæ, quæ te nõ dubito ad generoſam pro Chriſti nomine mortem ſuſtinendã extimulabit, ne qui nobilitate generis es illuſtris, eãdem turpiter impiæ Regis petitioni ſubſcribẽs, cõtamines, quãtũuis non ignorẽ te ordinis tui dignitati tãtũ deferre vt nobilitatis iſtius mũdanę quæ perexigua eſt,

in nulla ſi non adſit virtus , rationem non habeas. Reddes ſumma cum gloria corpus id tuum creatori ſuo quod tam diu ſanctam vitá colens ſub pauperculo iſto Fraciſcani inſtituti tegumento obſeruaſti . Et tamen dum cogitatione voluo filia ego tua obediens quantum tua de cauſa mœroris ſim habitura, neſcio quid dicam, hác potiſſimam ob cauſam quod me ſine conſolatione aliqua relinques, ita quod hæc in hoc mũdo habitatio expectatióque mea aliud eſſe nõ poſſit quam miſeria & ih corporali vita mera mors, ſed tamen in Domino confido cui dixi
Pſal. 141. pars mea es in terra viuentium , in qua te me viſuram ſpero , non ita multò poſt vbi tempeſtate huius ſæculi mihi ceſſante ad ſerenam iſtá beatorum vitam aſſumar. His vale honorande mi pater, me tuis hic in terra precibus ſemper commendás,

quibus quoque maximè me conſo-
landam dum ſupernas illas ſedes
fueris conſecutus ſpero : Filia tua
mœrore pleniſſima Catharina.

Luce clarius ex hac epiſtola patet
ſingularis cum pietas tum prudẽtia
optimæ matronæ qualémque etiã &
quàm beneuolum gerebat erga ſan
ctum Patrem animum: verè marty-
rij amore æſtuaſſe etiam ipſam quis
non dixerit qui conſiderabit quàm
prudenter & quàm ſedulo eum ad
martyrium conſtanti animo ſubeũ-
dum ad hortetur, quem ſciebat in
rebus diuinis verſatiſſimum, & pro-
inde ſciret quid in caſu hoc adeo in-
ſolenti ſequi, quid fugere deberet,
ea quoque eſſet pietate , ea virtute
eáque conſtantia, vt non dubitaret
quin non ſolum non turpiter ſe in
obeundo martyrio gereret verume-
tiam intrepido & erecto animo ad
illud aſpiraret potius quàm idem

reiiceret. Triſtitia autem quãta perfuſa fuerit, ob hunc Patris caſum facilè quiuis cõſiderat, dum ipſa pœnarum grauitatẽ ſe etiã perſentiſcecere, tormentorúmque omniũ eſſe participẽ declarat: futuram quoque poſtea celatum his literis eſſe noluit. Epiſtola hæc profectò doctiſſimè & ſumma animi pietate conſcripta teſtis luculẽtiſſimus eſſe poteſt ſingularis in optima matrona virtutis, prudentiæ eximiæ & conſtantiæ in fœmina incredibilis quæ virile aliquid ſpirans virũ ad martyriũ etiã paratiſſimũ ſuis ſcriptis ad idẽ auſa eſt cohortari. His literis acceptis, nõ dubiũ eſt quin mirum in modũ ſanctiſſimus Pater fuerit cõmotus, gauiſus tamen graui adeo cohortatione à fœmina profecta, ea cuius, ipſe erat cõſiliorũ omniũ conſcius, non ignorans quanta prudentia & pietate pectus eius eſſet imbutum, quæ

dum ipſi confeſſionibus eſſet diuinis rebus erat longé addictiſſima.

Huic Epiſtolæ hūc in modū reſpōdit ſanctiſſimus Pater.

SEreniſſima Domina Regina filia mea in viſceribus Chriſti longè chariſſima. Accepi tuas per iuuenē illum miniſtrum tuum Thomam, quibus lectis incredibili gaudio fui perfuſus ob magnam illam quam in tę perſpicio in fide conſtantiá, in fide dico matris tuæ ſanctę Eccleſiæ: in qua ſi perſiſtes, non dubiá conſequeris ſalutē: nec eſt profectò quod de me dubites, quòd inconſtantiam aliquā hos meos canos dedecere planè eum. Interim obnixę te rogatam velim vt indefeſſo labore apud Deū pro me inſtes, pro cuius quidē ſpóſa hic tanta tāque multa tormēta patimur vt me in gloriá ſuá recipiat, pro qua toties decertaui in ordine Diui Franciſci cóſtitutus: annis videlicet quadragintátribus: & modo ſexa-

geſimum quartum habens annum populo neceſſarium me ampli⁹ nõ eſſe perſpicio: quare omnibus votis
Galat. 1. opto diſſolui & eſſe cum Chriſto. Interim cauebis à peſtifera hæreticorũ doctrina vſque adeo vt ſi Angelus de cœlo deſcendat, aliam adferens præter eam quã te docui doctrinam, fidem nulla ratione dictis eius adhibere debeas ſed reiicere, ſi dicat aliud aliquod dogma quàm id quod te pridem docui adferat, non enim à Deo proficiſcitur. Pauca hæc conſolationis loco habitura es quã à Domino noſtro Ieſu Chriſto maximè expectare debes cui te commendo plurimũ vt & Patri meo Frãciſco, Diuæque Catharinæ, quem obnixè te rogo vt ores cùm in ſuppliciis me conſtitutũ intelliges. His vale. Miſi ad te roſarium meũ quod triduum tantum ſuperſit vitæ meæ. Hanc epiſtolã reſcripſit pater Regi-

næ, vbi etiam prophetico ſpiritu præditum fuiſſe ſanctum Patrẽ facile perſpicim⁹ triduo enim poſtea extremo ſupplicio fuit affectus. Scripſit & eiuſdem pientiſſimæ Reginæ ancilla Domina Elizabet Hanó ad venerabilem iſtum virum literas dũ adhuc in eo portæ nouæ carcere detineretur, hunc ferè in modum. Colendiſſime mi Pater incredibile eſt quanta Domina mea ſereniſſima Regina & ego mœſtitia afficiamur dum de grauiſſimis acerbiſſimiſque tuis poênis intelligimus, atque hoc magis ꝙ omnes nos ſimus conſolatione deſtitutæ: ita quod Domina mea ſine vlla intermiſſione lachrymis ſeſe inigans nihil aliud ĩquam precibus det operam. Si fieri poſsit vllo modo, vt amicorum quorumdam opera euadas, quæſo ne nos te orbatas velis relinquere, metuens profecto ne Domina mea Regi-

na tam funeſto commota caſu, in grauem incidens morbum, morbũ, mortem incurrat, hocque maximè quod Regis furor is ſit, qui Reginæ intolerabilis videatur. Die ſiquid dem Lunæ vltimæ elapſo venerunt ad nos Regis ſatellites qui neſcio quid perquirentes, minis nos vſque adeò teruerunt vt quid conſilij caperemus, non ſatis ſciremus, adeò vt quid Rex terrifico hoc actu ſibi velit, penitus ignoremus, Vnicè autem te rogo vt ſupplices ad Deum preces fundas, eum deprecans pro me & ſocia mea Dorothæa Lichfilde quæ te ſalutat ex animo. Vale & pro nobis Dominum Deum exora. Ad has literas ita reſpondit ſanctus Pater, Filia mea Elizabeta Hammon Doleo profectò ob grauem illum Dominæ tuæ tuúmque mœrorem, propter has meas quas ſuſtineo pœnas, quaſi verò non ſit re-

ſurrectio ad gloriam. Non ſunt cer-
tè hæc quæ ſæpius inter alia pietatis
documenta tibi inculcaui: quod ſi
ſint, me lõgè tum à veritatis via ab-
errasse tibi ſciendum eſt. Si velim
fidem frangere & præ tormentorũ
timore ac diuitiarum huius ſæculi
cupiditate diabolo me prodere,
non dubium quin facilè ſim euaſu-
rus: tu autem non ita arbitrare. Ad-
diſce ergo pro veritate Chriſti fidei
pati, & pro eius ſponſa & tua matre
Eccleſia mori, & non me ab illis tor
mẽtis, quibus ſpero beatitudinem
æternam conſequi, conari, diuer-
ti.

Obſecro vt veſtigia ſequaris Do-
minæ tuæ Reginæ, præclara quæ
in ea comperies exempla ſequens,
& pro me ora vt tormentorum
quæ inferre cogitant, cum pro
gloria Dei conſequẽda exigua ſint,
augeant aſperitatem. Grauiori hac

reſpóſione cum quadam correctio-
ne iſtius Eliſabetæ vſus eſt quod co-
naretur eum à ſubeundi martyrij
propoſito retrahere. Scripſit & aliá
quandam ſancto Patri epiſtolam
Dominus Abel vir lōgè doctiſſimus
qui Reginæ aliquando in Muſico-
rum inſtrumentorū tactu & linguis
operam ſuam nauarat, idque ex car
cere, nam etiam inter reliquos in
carcerem erat coniectus. Harum te-
nor hic eſt. Reuerende admodum
Pater: Quantumuis tormentorum
grauitatem exhorrent ſenſus, profe-
ctò eadem tamen ſuſtinenda fides
noſtra exigit & requirit: dixi, motus
Pſal. 93. eſt pes meus propter auerſionem fa-
ciei tuæ: verū quo hæc tardatio cui
auidè expectatur ſumma illa beati-
tudo. O beata facies in qua conſiſtit
ipſa ſatietas, vnde inquit Dauid ſa-
Pſal. 16. tiabor cum apparuerit gloria tua,
ſed auertiſti faciem tuam à me & fa-

ctus ſum conturbatus, conturbatus Pſal. 29.
quia tormentorum prolõgatur cruciatus, prolongatus itaque, cum & ſim humiliatus, humiliatus & non exaltatus quia ad ſaluatorem non tractus, nõn tractus quia pondere peccatorum oneratus, oneratus & ab ipſo non refectus. Quid ergo proderit mea condemnatio, ſi vlteriùs fuerit expectandum: Expectans
expectaui & non intẽdit mihi. Qua- Pſal. 39.
re quæſo: quia nimirum fuſis pro me precibus Dei miſericordiam qua erga me vteretur non imploraſti: ſcio enim quanti ponderis oratio iuſti apud Deum: Quia apud Domi-
num miſericordia eſt & copioſa Pſal. 129.
apud eum redemptio. Liberaſti idque propter Dauid ſeruum tuum: quare ergo pœnis his finis non imponitur, per trigĩta ſeptem iam dies ſuſtineo & non inuenio requiem, tamen ſpes mea eſt quod ſimul vno

ſupplicio moriemur, moriamur queſo vt viuamus cum illo cui precum tempore plurimum te cómendo, martyrum omniũ martyri. Vale & pro me ora. Ad hanc epiſtolam hunc in modum Reuerendus Pater dedit reſponſum. Multum generoſe Domine. Sicut accidit in claritate cognitionis, ita & in fruitione gaudij & æternæ habitationis vnde B. Auguſtinus libro de ciuitate Dei, Multæ mãſiones in domo vna ſunt, erunt etiam variæ præmiorum dignitates, ſed vbi Deus erit omnia in omnibus, erit quoque in diſpari claritate per gaudium, vt quod habebunt ſinguli, commune ſit omnibus, quia etiam gloria capitis omnium erit per vinculum charitatis & ſic tantum quiuis gaudebit de alterius bono quantum gauderet ſi in ſeipſo haberet. Noli, fili mi, numerare pœnas quia hoc eſt dolori do-

lorem addere, ſed cogita quòd dicit Diuus Paulus exiſtimans paſſiones, huius ſæculi eſſe indignas ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis, cuius verbis benè additur, dictũ prophetæ Mille anni apud Dominum ſicut dies heſterna: ſi patienter res quæ inferuntur tormenta, ne dubites de retributione de qua pſalmiſta inquit, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem, ô beata & ter fœlix illa retributio quæ fit timentibus Deum, vt oramus Retribue ſeruo tuo, non tamen niſi quia cuſtodiui ſermones tuos. Si ergo retributio in cuſtodiendis ſermonibus Domini: cuſtodi ea fili mi, quoúſque? vſque in finẽ, quia dicit, qui perſeuerauerit vſque in finẽ hic ſaluus erit, neque pœnæ triginta ſeptem dierum nec mille annorum ſed vltimus finis coronabit tuum

Rom. 8.
Pſal. 89.
Pſal. 118.
Pſal. 118.
Math. 24.

opus. Laborantibus vnico die non ſatisfit pro anno integro:neque qui Romam ſtipendio mittuntur, tantum recipiunt quantum ij qui proficiſcũtur Ieroſolimas. Si curras tantum tu vt Romam conſequaris, Ieroſolimam putasvenires?Ieruſalem, inquam, quæ eſt ciuitas Regis magni, in domibus eius cognoſceris,
Pſal. 47. cognoſceris cum ſuſcipies eam,eam inquam, in qua eſt pax ſumma & tranquillitas maxima.Putas,fili mi, quòd ſimul curremus & in vno ſupplicio gaudebimus & de vno calice bibemus?maiora me expectant certamina, te verò leuiora ſupplicia manet. Verùm qualiacúnque tandem ea erunt, viriliter age, ſuſtinens Dominum. Vale.

Non ita multò poſt idem Dominus Abel fuit ſuſpendio necatus, propter Romanæ Eccleſiæ fidem, quodque Regis, vt & alij, impor-

tunæ & iniquę petitioni putarit eſſe contrauenienduꝫ, de quo quidem in hiſtoria Anglorum vbi in lucem prodierit, pluribus actum reperietis. Atqui hæc ſunt Beneuole lector, quæ de Anglorum Fratrum vita & martyrio hoc tempore in lucem emittenda putaui: tuam vbi cecidi, opem requirendis, vt monitus, tuo iudicio caſtigatione adhibita proprium hoc opuſculum emaculem.

Finiunt martyria Fratrum Anglorum.

DE PATRIBVS DIVI FRANCISCI INSTITVTI QVI ELAPSIS his ſuperioribus annis in Belgio pro Chriſti nomine paſſi ſunt ſub Principe amiaco.

CVM ſuperioribus annis ſtatuiſſent heretici omni ſcelere Rempublicam Catholicorum diuexare: ſelectiſſima quædam eiuſdem membra aggreſſi ſunt quæ ſcirent tanquam columnas aliquot præcipuas totius ſpiritalis ædificij ſtructuram ſuſtinere ac tãquam præclariſſima luminaria toto mundo prælucere. Nullum enim non mouet lapidem humani generis hoſtis diabolus vt hæreſes in mundum introducat ac infidelitatis er-

rorem perpetuúmque atheiſmum in eo (ſi poſſit) plantet, vt hac ratione de omnium ſalute ſemel ſit deſperatum. Illi enim eius inuidia eſt, qua peccatum in orbem introiuit, male perſuaſos primos parentes eô adducens vt ſibi potius quam Deo fidem haberent. Simili ratione & modò peccatis noſtris ita merentibus, permiſſu Dei, flagitioſiſſimos quoſdam homines excitauit qui operam ipſi nauarēt, aliquos quidem in ſeminandis hæreſibus, alios qui bella cum noſtris gererent, aliquos deníque qui quæ eſſent grauiſſimorum Antiſtitum & Magiſtratuum clariſſimorum operâ in Republica benè compoſita, turbarēt omnia & ſumma imis miſcerent, dum ad dignitates euehũtur infimæ plebis homines & in ordinē rediguntur ij qui pri⁹ ob ſingulares, quæ in illis elucebãt virtutes alijs præfecti, authorita-

te ſumma pollebāt, vt taceam quòd eorum plurimi in vincula coniecti morti adiudicati poſtmodum fuerint, cum tamen de Republica optimè eſſent meriti. Atque verſipellis quidem ille coniuratus noſter hoſtis ſatan, cū videret conatibus ſuis multum obſiſtere eos qui viā perfectionis ingreſſi in religione quadā Deo ſe conſecrarunt, eoſque maximè qui præterquā quod perpetuas pro Eccleſia preces fundant: inſuper etiam concionibus aliiſque pietatis officiis populum in vitæ æternæ viam deducunt, illos adortus eſt ſedulo in eos quicquid ad eam rem putauit idoneorum eſſe miniſtrorum, ſumma ne elaberentur, adhibita induſtria concitans. Sunt inter eos viri quam plurimi, vitæ ſanctimonia, ſingulari prudentia, maximáque eruditione prædita qui Sancti Franciſci inſtitutū cùm ſerio ſemel am-

plexi ſunt, nihil magis in votís habent quam ſeſe furibundis hæreticorum machinationibus opponere noctes diéſqueDeum pro omnium ſalute deprecantes, interdiu etiam concionibus vacantes quibus vnũquemque in fide inſtruant & ſectariorum refutatis ficuluris argumentis conſtantiorem in veris Chriſtianorum placitis faciunt. Atque hæc inueterati iſtius ipſorum odij cauſa eſt. Hinc clamat Lutherus mendicãtium ſacculos eſſe tollẽdos, Iulianus Apoſtata philoſophiam omnem è ſcholiis exterminandam, ne videlícet non ſatis commodè aggredi valeãt ouiculas Lupi, canibus qui eas à voracium beſtiarum rabie defendant ſuperſtitibus. Cum ſiquidem eo in ordine viri ſint philoſophiæ peritiſſimi, cuius cognitionem ad ipſam Theologiam adferant, egregièque in hęreticorum controuer-

ſiis ſubſeruiat: maleſèriatorum hominum tectas frequentiſſimè & táquam centones malè concinnatos, malè compoſitas, ratiocinationes, cauillationes veriùs dixerim, ita dextrè refellunt, adeò dilucidè refutant vt de victoria vera nefarij homines deſperent, nixi deinceps friuolis tantum & in ſpeciem plauſibilibus argumentis. Ne tamen omnino ſuccubuiſſe videantur, ſi quando præualentibus ipſis contingat eos ducem habere ſuæ factionis hominem qui & authoritate & poteſtate valeat: vi ſanè peragunt quod diſputationibus & colloquijs nequeunt. Contigit hoc nouiſſimis his temporibus in Belgio vbi Franciſcanos plurimos, tenebrarum Principis inſtinctu ſub Principe Auriaco grauiſſimis ſupplicijs affecere, atque id ob negotium fidei, quòd potiſſimum parte Eu-

chariſtiam cőcernit, cùm Angli ob primatus authoritatem Regi denegatam, martyrium ſuſtinerẽt. Huius rei hiſtoriam tenui quidem ſtylo, vt omnibus eius pateat lectio, verè tamen perſcribemus.

Anno itaque ab incarnatione Domini 1572. cùm iam præ foribus eſſet diuini illius pręconis Ioannis Baptiſtæ ſolemnitas: dum ad extremum furorem & inauditam crudelitatem, infenſiſſimi Catholicæ Eccleſiæ hoſtes hæretici nihil faciunt reliqui: omnes ſuos conatus eam in rem contulerunt, vt quicunque eſſent apud Holandos Zeelandóſque, vbi rerum potiebantur, ſingulari virtute & eruditione viri exquæſitis eos ſuppliciis afficerẽt mortíque darent vt illis è medio ſublatis, furibundis ſuis machinationib⁹ qui ſeſe opponeret, non eſſet. Hoc ſiqui dem cőſilio perpetuo vſos videmus

illos (vt prius diximus) qui barbara quadam gubernandi ratione, tyrãnide magis quam beneuolẽtia quæ acceperant regna putarunt eſſe adminiſtranda vt quos ſuis conatibus videbant obſiſtere poſſe, ea qua pollebant prudentia & virtute, proditionis accuſatos morti adiudicarẽt, aut ſi ob populi erga huiuſcémodi viros fauorem non poſſent, in exiliũ certè coniicerent, quòd iis pręſentibus truculenti illi rerum adminiſtratores abſque omni metu eſſe nequeant. Habet huc de re luculentum exemplum Euſebius hiſtoriæ libro ſexto capite 20.

Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoria lib. 6. cap. 20.

Alexandro (inquit) Imperatori poſt tredecim annos principatus ſui defuncto, Maximian⁹ Cæſar ſuccedit. Qui dum odio fertur aduerſum deceſſores ſui Alexandri domum, perſecutiones commouit Eccleſiis: ita tamen vt eos tantummodo qui po-

pulis præerant & doctrinæ, punire iuberet, velut qui cauſam cæteris huiuſmodi perſuaſionis præberent. Simili exemplo videmus ſæpius vſos fuiſſe Turcarum Imperatores dum etiam in propinquos maximè ſæuitiã exerceant vt metu omni ſublato pro libidine omnia adminiſtrare poſſint. Paria ſanè faciunt hoc noſtro ĩfœliciſſimo ſæculo hæretici dũ principes viros ad carceres trahunt, diuini verbi præcones interficiunt, in omnes denique ſuperbia ſua graues ſunt qui ipſorum placitis non omni ex parte obſequuntur. Dum itaque furibũdos hos ſuos quos pridem cõceperant ſpiritus efflare ſtatuiſſent, oportunitatem per domeſticos plurimos nacti, quos ſingulis in ciuitatibus ſibi habebant addictos Alcmariam inuadunt, Hollandiæ oppidũ. Iam enim ſingulę propemodum Batauorum vrbes noua

captabant conſilia, omniáque ad defectionem ſpectare videbantur. Occupato itaque aſtutia ac dolo hoc oppidulo, ad collegium Religioſorum eorum, qui Diui Franciſci ſtatutum ſequuntur, barbariem ſuam expleturi, accurrunt, Collegij præfectu quem Guardianum vulgari nomine appellant aliósque quos ibidem reperere fratres, poſt varias calumnias, ſcommata, dicteria & illatas iniurias, funibus proprijs quibus pro inſtituti ratione cincti erant, ligatos, abducunt in vincula, proditiones eos inſimulantes, quod inimicis (ſic enim Italos Hiſpanóſque appellabant quos hæreticorum furori Rex Catholicus in Belgio oppoſuerat) patriam prodere voluiſſent, quàm ipſi virtute ſua & armis, ſaluam ſcilicet & integram eſſe volebant. Eſt enim id familiare admodum cum

aliјs tum etiam Belgicis hæreticis vt eos proditionis accuſent quos immaculatæ eſſe vitæ cùm omnibus conſtet, alio nomine arguere non poſſunt. Hoc vt confirment, miris vtuntur technis. Rumores ſpargunt falſiſſimos, reperta nimirum maximo numero in huiuſcemodi religioſorum Fratrum collegiis inſtrumenta bellica, eſſe armatos qui eos qui in ciuitate patriȩ ſtudioſi eſſent, interficerẽt, in iiſipſis locis collocatos: adulterinæ finguntut literæ tanquam ab ipſis ſcriptæ, vel ab aliјs ad eos ipſos miſſæ quib⁹ appareat omnibus in patriæ eos ruinam incũbere. Itaque nefandũ hoc facinus obijcitur, ſaluã illos eſſe nolle ciuitatẽ, obijcitur dico ijs per quos ciuitatis ſalus vel maximè ſtabat. Quid enim ſi religioſiſſimorum Patrũ prȩclaræ virtutes, aſſiduæ ad Deum deprecationes, cõciones doctiſſimæ frequẽ-

tiſſimæque ea in ciuitate locum non habuiſſent, iamdudũ omnium hæreſeôn & errorum ſentina, improbiſſimorúmque morum fuiſſet ſeminarium. Inclinatum enim erat id oppidum, ſupra quàm cuiquam credibile eſt, ad Anabaptiſtarum dogma vt etiam totus propemodum ille Hollandiæ tractus quem ab agnis Vuaterlandiam vernaculo nomine appellant. Hac peſte in oppidum introducta quis non videt quo inuitura erat ea Reſpublica? quos tandem errores cum ab incolis ibi ſeminatos, tum ab exteris eô allatos non ſuſcepiſſet? caros gratóſque habuiſſet, ambabus deníque vlnis fuiſſet complexa. Verùm fuit is diuini numinis fauor vt collocarentur eo loci viri hi qui & virtute & eruditione ſingulari poſſent & qua erant erga Deum & populum pietate vellent conatus nefariorum

hominum retundere, cum in eo oppido tum etiam in vicinis locis, periculis ſimilibus expoſitis. Effecit hoc tandem præclara eorum virtus vt haberent eo loci viros plurimos prę clariſſimos, optimóſque ſibi maximè addictos adeò vt improbiſſimi ij ſceleſtiſſimíque perduelles timerent fore ne eorum cóſilio & armis Patres iſti ſuis ipſum manibus eriperentur, quod ſcirent non ita occęcatum populum qui iudicaret rem omnem bene geri dű per ſummum ſcelus homines nefarij, optimos viros in carceres abducunt. Inito itaque conſilio Enchuſiam venerandos Patres trahűt quod ibi melius conſeruari poſſe ſcirent vbi ſuæ ſortis haberent plurimos & Patrum iſtorum nó perinde ipſis perſpecta eſſet probitas. Eſt id oppidulum in maris littore oportuno loco ſitum ita vt mercatorű diuerſorum

acceſſu celebre ſit admodum & rerum omnium copia affluẽs. Verùm vt fit in emporijs nobilioribus vt eo ſimul cum mercibus importentur etiam mores eorum qui ea frequentant (vt videamus in huiuſcemodi locis corruptos amplius plerunque hominum mores quàm alibi) importentur quoque errores illorum ipſorum mercatorum quos ibi maiori cum fuiſſe ſpargi poſſe arbitrantur vbi omnia ad luxum magis quã ad religionem ſpectant: ita & hic vſu venit vt à ſectarijs locus iſte frequentaretur admodum & ſectas cõmodè ibidem ſeminarent. Huc funibus proprijs ligati in D. Ioannis Baptiſtæ vigilia, qui erat captiuitatis ipſorum dies, deducti ſunt: vbi plurimis laceſſiti iniurijs & moleſtijs affecti cum fuiſſent, tandem ſacerdos quidam apoſtata cui Gerardus de Berkenroye nomen erat; ho-

mo crudelis & impius quem cauſis huiuſcemodi prę̨fecerat Princeps Auriacus, Reuerendũ Patrem Guardianum oſtenſa hoſtia (neſcitur an conſecrata) his verbis aggreditur Hiccine eſt Deus tuus quẽ hactenus coluiſti? Age, liberè dic nobis ſi is ſit. Cui conſtanti animo reſpondit religioſus Pater. Si ea, quam oſtẽdis, hoſtia conſecrata ſit à ſacerdote legitimo ijs verbis quibus & cæteros ſacerdotes vbi voluit Chriſtus, firma fide eum aſſero Deum meum Chriſtúmque ſaluatorẽ eſſe qui pro ſalute humani generis pepẽdit in cruce. Diuinis his boni Patris verbis perceptis, homo nefarius, tanquam furiis exagitatus, hæc, inquit, fidei tuæ publica profeſſio, publicæ mortis tibi tuíſque cauſa futura eſt. Erigitur itaque medio foro patibulum ante domum Prætorij ferturque ſententia hũc in modum quòd ob proditionẽ

quam moliebantur, quodque papiſticam (ſic enim loquuntur) religionem palam profiterentur, ſequẽte die mane funibus propriis quibus ex more cinguntur morituri omnes ſuſpenderentur. Hęc vbi mortis lata ſententia eſt, ducuntur fratres in domum hæretici cuiuſdam prætorio contiguam. Hic ſancti Patres non ignorantes quanta vitæ ſanctimonia qualíque munditia eum præditum eſſe oporteat qui ad ſupernas illas beatorũ ſedes aſpirat: omnem curam ſtudiúmque omne nocte hac in recitandis peccatis ſuis poſuerunt vt hac ratione expiati ad authorem ſuum animam ſinguli remitterent: colloquijs inſuper diuinis vacantes quæ eos à cogitatione omnium aliarum rerum abſtraherent & in perpetiendis ſupplicijs conſtantes & intrepidos redderent, quos, vt eſt mortis apprehenſio maximè terri-

bilis, ſpes vitæ vlterioris potuiſſet forſitan à concepto moriendi propoſito deterrere. Reuerendus quoque Pater Guardianus quę ſui erant numeris ſummo ſtudio & labore exequens, ad conſtantiam adhortatus eſt ſuos ne ſupplicij metu à vera fide reſilirent, ne diabolicis inſpirationibus locum darẽt, cùm dubium eſſe non poſſit quin aduerſarius noſter diabolus tunc maximè tãquam leo circumeat quærẽs quem deuoret, cùm videt ſtatim ſpem ſibi omnem præciſam fore ſuis machinationibus hominem amplius aggrediendi: atque hoc tum magis agit, cum, vt ẽſt ſumma inuidia perſpicit rem ita tractari vt vnde excidit ipſe, eo migrent ij qui è viuis excedunt. Illos itaque ſocios ſuos hac oratione aggreſſus eſt. Agite fratres mei & mecum perſiſtite in Romanæ fidei confeſſione pro qua animas noſtras

1. Petri 5.

hodie non dubitemus offerre Deo vt eaſdem in cœlum inferat ſplendidiſſimíſque exornet corónis. Non leuia omnino, fateor, ſunt quæ ſubimus, ſupplicia ſed breuia admodum, gaudia verò quæ expectamus perpetua ſunt & æterna. Præ oculis habeamus illud ſanctiſſimi Patris noſtri Franciſci, quo ſuos ad laborum & incómodorum tolerantiam exhortari ſolitus eſt, Modica paſſio gloria infinita. Atque ſanè modica eſt hæc paſſio ſi æternitatem illam ſpectemus, ſi beatitudinem intueamur, vbi cumulatiſſimè quicquid bonorum cogitari poteſt recipiemus. Bene ait Apoſtolus non ſunt condignæ paſſiones huius ſæculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Reuelabitur ſanè in nobis ſi paſſiones illas breues & momentaneas intrepido animo ſubiuerimus. Parcite mihi obſecro & con-

B. Franciſcus dicere ſolitus erat.

Rom. 8.

donate Fratres, filiíque mei in Chriſto quamdilectiſſimi, ſi ſubinde parum memor vocationis meæ & præfecturæ ad quam eram euectus, actu aliquo improbo aut ſermone non ſatis cõdito vos offenderim: donate obſecro ſi cum mei eſſet muneris vitæ ſanctitate vobis omnibus tanquã ſydus aliquod clariſſimum prælucere & ad viam, arctam quidem & arduam illam quæ ad cœlũ ducit, facem præferre, nihilominus ea probitatis exempla vobis non exhibuerim quæ & poteram diuino aſſiſtẽte numine & debebam. Hoc vnicè vos rogatos volui vt cũ paſtor ſim veſter ac proinde ad virtutem capeſſendã author & dux eſſe debeã: ignoſceret Deus ſi minus probè, meo, hac in parte, officio functus fuiſſem. Agite iam & negotium ſalutis veſtræ ſedulò procurate. Tempus reſolutionis noſtræ inſtat. Venturus eſt ſatelles

impius qui nos iubeat vitam cum morte commutare. Quapropter præſenti & erecto eſtote animo ne vos metus aliquis & trepidatio percellat. Huiuſcemodi pijs adhortationibus & officijs noctem hanc inſomnem tranſegere, diuinis laudibus operam dantes, Chriſtúmque deprecantes vt qui ſingulari exemplo acerbiſſimum illud ſupplicij genus ſubiuiſſet, gratiæ auctario ita eorum animos roboraret vt huiuſcemodi barbarorũ hominum ſupplicia non exhorreſcerent. Sciebant Diuum Paulum ita ad martyrium intrepido & confirmato fuiſſe animo vt diceret. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum? an perſecutio? an gladius? (ſicut ſcriptum eſt. Quia propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus ſicut oues occiſionis)

Rom. 8.

ſed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. Certus ſum enim quia neque mors, neque vita neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu Dño noſtro. Contemplabantur viri optimi immenſam barbarorum ho minũ crudelitatem, ſed quòd à charitate Chriſti ſeparari nollent in quo iam omnem ſpem ſuam collocarant, flocci ſibi hæc tormenta pendenda eſſe arbitrati ſunt. Amanti ſiquidem nihil eſt difficile & qui ſtudio ardet rei alicuius, quãtumuis plurimis ſæpe obſtantibus impedimentis, quãtumuis labores plurimi exaltlandi ſint, quantumuis etiam cauſa illa vt in fidei profeſſione, cum vitæ diſcrimine quandóque cõiun-

cta ſit, tandem aliquando ferè eo
Cantic. 8. peruenit. Vnde dicit Sapiens dilectio fortis ſicut mors: quam fortis ſit mors quis non intelligit qui ſapiens eſt. Cum hanc noctem viri clariſsimi in diuinis precibus aliíſque piis officiis expectantes Dominum ſuum peregiſſent, ſequenti die matutino tempore inter quintam & ſextam horas ſupradictus ille tyrannus Gerardus nomine, nihil niſi ſæuitiam ſpirans, fratrem quendam ex eorum numero, Adrianum nomine aggreditur, Laïcus hic erat, vir bonus, canitiæ venerabilis, parem ad fidei confeſsionem cum aliis cõſtantiam adferens. Hunc ſperabat impius ille à recta via deducere, ſed fallebatur miſer qui aliũ arbitrabatur fallere & à rectæ fidei ſoliditate remouere. Vitam illi offert hac conditione ſi tortoris officium ſubiens, fratres reliquos ſui inſtituti in crucẽ

velit agere & à ſcalis præcipites deturbare ſpetioſa profectò nefarii hominis beneuolentia vt vitam concedat ipſi ſi aliis mortis cauſa & miniſter eſſe voluit. Quid furcifer? ita non ſolum improbus es & impius: verumetiam furioſus & amens vt optimi viri conſtantiam ſtudeas labefactare! Quæ crux tibi poteſt ſatis ſupplicii adferrè, O portendum in extremas terras deportãdum. Tu quòd apoſtata eſſes & a vera fide deflexiſſes, non abſimilis hui-mani generis hoſti diabolo, inuidiſti ipſi forſitan illum in fidei profeſſore erectum animum, maluiſſéſque ad tuas ipſum ſordes pertrahere quàm barbaro exẽplo in eius morte crudeliter illata, tuã ſæuitiã fatigare. Meminiſſe oportebat, cũ olĩ in lege verſatũ te, quod ſacerdos eſſes, decebat (quãtumuis modò apoſtatæ nomẽ quàm ſacerdotis malis) quid præ-

Leuiti. 19. ſcribat Leuitici 19. Deus de honorandis ijs qui iam prouectioris ſunt ætatis qualis fuit hic frater. Coram cano capite, inquit, conſurge & honora perſonam ſenis: & time Dominum Deum tuum, ego ſum Dominus. Verùm tu quantumuis nobilibus ortus ſis progenitoribus, tenebris tuis progenici tuæ ignominiæ maculam inuſſiſti & ingurgitatione viri (nam ſtrennuus potator es) præclararũ, quas forte ſciniſti aliquando, rerum cognitionem ita obliteraſti vt & hoc diuinum præceptum ex cerebro atque adeò corde tuo extriueris. Inſulſæ huic nebulonis petitioni intrepido animo reſpondet laïcus, tantum abeſſe vt atrociſſimo hoc flagitio extremę ſuę ſenectuti hanc velit infamæ notam incurere vt optet magis illis commori & ab ea ſententia non diſcedere quam ſibi ſperaret ſalutis fore cau-

ſam. Spe itaque fruſtratus ſua tyránnus educit optimum virum è domo illa ad patibulum, ſolum cum prius fratribus valedixiſſet & manifeſta ijs conſtantiæ dediſſet argumenta. Vbi ad ſupplicij locum deuentum eſt, ſcalas non inuites conſcendit, applicatóque collo ei⁹ fune, quem, vt moris eſt Franciſcanis, geſtabat, commendata in manus Dei anima, ſtrãgulatus eſt communi ſuſpenſorum pœna. Educitur poſt hũc Guardianus ipſe vt qui morum honeſtate & præclaris exemplis, alijs ſuis fratribus in vita præluxiſſet & viam quam ingredi deberent mõſtraſſet: hoc ipſo in ſupplicij genere viam etiam demonſtraret. Nec ſanè ſibi ſuíſque defuit dum conſtantia incredibili lubens mortem ſubit. Itaque ſumma cum animi alacritate locum accedit, tribus vicibus Pſalmum illum. In te Domine ſperaui, *Pſal. 30.*

recitans, quòd ſciret, vt erat vir in ſacris literis verſatiſſimus, afflictionis tempori conueniatiſſimum eũ pſalmum eſſe. Quis enim non in eo ſpẽ ſuam omnem collocet qui fortitudo noſtra eſt & refugium, qui nobis & vult & poteſt calamitatis tem
1. Cor. 10. pore opem ferre non ſinens nos tẽtari ſupra id quod poſſumus. Quo peracte ſcalas conſcendere cogitur & ſimili mortis genere interit. Sequitur hunc ſanctæ Claræ Dominarum Pater, qui, vt agnus ad victimam deſtinatus, non aperuit os ſuũ, eodémque ſupplicio vitam cũ morte mutauit. Hunc ſecutus eſt Pater Ioannes, natione Nardenſis qui dici non poteſt quanta alacritate ad ſcalas accurrent, eadémque conſcenderit, ſimilem cum præcedentibus vitæ exitum conſecutus. Erat verò is Alcmarienſis Franciſcanorum Collegii ſacrari[9] atque idem chori mo-

derator, quod vtrunque officium ſumma profecto cum laude admini ſtrauit. Ipſi in ſupplicio ſucceſſit frater Lodouicus Voets ſacerdos & diuini verbis præco, cui; eo quod ipſorum inſidiis oportunior appareret, videbantur martyrium negaturi niſi ipſe acrius inſtidiſſet. Erat iuuenis hic Florenti etiamnum ætate quem hanc ob cauſam arbitrabantur aliquid de conſtantia remiſſurũ ſi libertatis & vitæ diuturnionis ſpes affulgeret: quod vt videt ſibi ſtrui periculum: quid moramini, inquit, ad quid iſta dilatione, animo certè meo acerbiſſima, vtimini! Abripite me, abripite & quem in ſimili cum aliis mortis cauſa reperiſtis, eodem ſupplicii exitu punite.

Conſtantiam iuuenis, irriſionem ſibi factam interpretatus carnifex magna quadam indignantis animi contumacia, Tibi inquit,

ſceleſte, cæteris arctius hoc fune iſingulum conſtringam. Itaque non deeſt ſibi crudelitas quin ſtatim in ſcalas attractum eum de gradibus deturbet, cum priùs iuuenis Pater pro glorioſo adeò exitu qui immitebat gratias Deo immenſes retuliſſet. Eo ipſo die Beato Ioanni ſacro ad veſperam, deponuntur è patibulo ſuſpenſa corpora: nares eorum tanquam aquarum riui ſanguine fluunt vehuntúrque curu extra portam quæ Alcmariam verſus tendit & in aggere prope portam, in loco cui nomen eſt Muten, leuiori terra cooperta condita ſunt, vbi influxu maris aquis teguntur quæ ſtupendo miraculo in ſpeciem ſanguinis, multis diebus, cernentibus non modo Catholicis verum & hæreticis conuerſæ apparuerunt, viſæque ſunt quinque faces ſuper extinctá corpora nocte lucere: perceperunt præ-

terea incolæ mænia ciuitatis quibus corpora adiacebant quaſi quodam terræmotu cieri: a vicinis quoque audita eſt vox terribilis inſtar tubæ ſonantis vernaculum hunc edens ſermonem, ſtaet doet, ſtaet doet, id eſt, occide, occide, quam Catholici futuræ vindictæ præſagium interpretabantur. Hæretici verò tãquam ludicra hæc ſint & phantaſmata veriùs vbi ſimul ſyndereſim conſcientiámque, quantum poſſunt, aboleuerint, res ſacras didicerunt nihil pendere, floccifacere ſimul diuina & humana omnia, vt nihil aliud quam verum atheiſmum hic liceat deprehẽdere. Sanioris erant Ethnici quidam olim iudicij quamuis nullam penitus venturi Meſſiæ cognitionem haberent, nec veri Dei habuiſſent vnguam. Vergilium hanc in partem, vt confundantur ſectarij, adducam, qui in tertio Æneidos

Vergilius 3.

Æneidos. 3.

quantus Æneam ſocióſque inuaſerit metus ob Harpiarum portenta & nuntium ibidem declarat, adijciens ſimul quàm ſibi Deos optarint propitios.

At ſocij (inquit) ſubita gelidus formidine ſanguis
Diriguit, cecidere animi: nec iam amplius armis
Sed votis precibúſque iubent expoſcere pacem:
Siue Deæ ſeu ſint dicæ obſcenæque volucres
Et pater Anchiſes, paſſis de littore palmis
Numina magna vocat, meritóſque indicit honores.
Dij prohibete minas, Dij talem auertite caſum
Et placidi ſeruate pios.

COnfundere hæretice & ſi tanta animi tui arrogantia eſt vt à monachis nolis edoceri, quos tanquam abiectos & viles reiicis: ſaltem Poëtæ doctiſſimi & virorum eo ſæculo clarorum te moueat authoritas. Sic enim eos appello quod palato tuo magis arridere ſentiam eorum commẽdationem quodque perſpiciam in ijs eſſe quæ in te deſiderantur quæque imitere plurima: non enim

mouet te verè religioſorum Catholicæ fidei ſanctíque ſui inſtituti cultorum authoritas, qui tamen quam mente habebant conceptam fidem: non dubitarunt atrociſſimis etiam propoſitis ſuppliciis, intrepido & erecto animo publica facta profeſſione confirmare.

Nomina fratrum qui Alcmaria Enchuſiam ducti & ibidem manibus impiorum pro confeſſione Catholicæ Romanæ fidei morti traditi fuere, hæc ſunt.

Pater Daniel Arendonk Guardianus Alcmarienſis, vir certè perſpicua eruditione & ſumma vitæ ſanctimonia clarus, qui poſteaquam inſtitutor adoleſcentum ſeminarij conuentus noſtri Louanienſis, multis annis magna cum laude & non minori fructu fuiſſet, Guardianatus officium poſtea diuerſis in locis magna dexteritate geſſit.

Frater Cornelius à Dieſt, Pater ſororum ſanctæ Claræ in Alcmaria, vir ſingulari ſanctitate præditus & fraternæ pacis ſtudioſiſſimus.

Frater Ioannes à Nardis ſacerdos & ſacriſta loci qui diligentiſſimus diuini cultus præclara illa ſua voce qua pollebat, decantator extitit.

Frater Ludouicus Voets ſacerdos & concionator, qui licet ætate iunior, ſenilibus tamen moribus præditus, Eccleſiã Dei quoad vixit, frequentiſſimis concionibus non parum exornauit.

Frater Adrianus à Gonda, qui quantumuis profeſſione laïcus eſſet incredibili tamen fide munus ſibi in multis cõuentibus concreditum magna dexteritate exercuit.

Frater Engelbert⁹ à Terburch laïcus & eiuſdem loci diſpenſator. Cùm præfatis quinque martyribus mortem ille non oppetrit: poſtea

tamen ab infidelibus ciuibus proditus quod ex fratrum Collegio eſſet & totam eorum ſupellectilem abſcondiſſe, diceretur à Geuſiis ſtatim captus & incredibilibus cruciatibus propemodum extinctus eſt, poſteaque ab iiſdem prope Amſtelrodamum, in pago Rarap, nomine eſt ſuſpenſus. Huius hic martyrium ſubnectemus.

Finis martyrii martyrum Fráciſcanorũ Alkmarienſis cóuentus, qui pro confeſſione fidei paſſi ſunt.

Crudele martyrium Engelberti à Therburch laïci conuentus Alkmarienſis.

CVm hæreſis ipſa ſæpius originẽ habeat aut ex turpi libidine aut vindictæ ſtudio aut ex proterni ani mi elatione: nó raró à cupiditate habendi ducit initium cum tamen hác idolorum ſeruitutẽ nuncupet Pau-

lus,dum ait ad Galatas quinto capite.Hoc enim ſcitote intelligentes quod omnis fornicator aut immũdus autauar⁹(quod eſt idolorũ ſeruitus)non habet hæreditatẽ in regno Chriſti & Dei. Videmus hoc peculiariter vitiũ idolomaniæ nomine celebrari, quia qui hoc malo ſunt impliciti,agũt id ſummo ſtudio nec in aliam ferè rem incumbũt quàm vt peculium augeant, per fas & nefas diuitias ſibi cõquirant, illos etiã interimentes per quos iis ſtare videtur ne ad optatos theſauros pertingant-Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum, inquit Chriſtus Mat-
Matt.6. thęi ſexto. Vbi verò inſatiabili habendi libidine laborantis hominis magis eſt theſaurus, quàm in rerum externarum theſauris reconditis?Eſt itaque ibidem & cor ipſorum dum animus eorum omnino circa poſſeſſionum multitudinem verſatur.

Euenit hoc funeſtiſſimis iſtis temporibus etiam in Belgio, Alcmariæ nimirum, vbi dum nullas latebras adeóque etiam quodámodo inacceſſas non inquirunt vnde aurum eruant maximéque id quod apud Eccleſiaſticos eſt reconditum: apud Franciſcanos tanquã rabie correpti cum rimantur omnia: laïcum quẽdam apud quem depoſita dicebantur vniuerſa aurea & argentea vaſa ſimiliſque materiæ imagines aliaque aliqua quæ ad cultus diuini ornatum ſpectant aggrediuntur vt vbinam ea eſſent, ſignificet. Nolenti mille intẽtant cruces. Magna itaque vi & nõ ſine graui læſione in capite eiuſdẽ fratris facta, è cõuentu ducũt illũ ad carcerem veſtibus ipſum pri⁹ quas ꝓ inſtituti ſui ratione geſtabat exuẽtes, cũ interim miſerandũ in modũ ſanguis magna copia ex vulnerib⁹ erũpit & in terrã riui inſtar defluit.

Cõtruditur itaque in carcerem hor ridem , ac poſtmodum vt declaret quonam loco repoſita ſint omnia, variis cruciatibus ſollicitatur. A primò columnæ ſublimi affigitur, pedibus à terra eleuatis, ita vt in altum iunctim manus colligaré tur & inferrè pedes etiam arctiſſimè ſtringerentur, vbi corporis toti⁹ pondere dubium eſſe non poteſt quantum pœnarum axillę ſuſtinuerint, quæ, ne ad barbarã crudelitatẽ aliquid deeſſet, ardentes iis candelæ applicabãtur vt infectiſſimo corporibus humanis igni cogerent illum rem omnem prodere.

Quid quod non contenti truculento hoc facinore ſub genibus etiam in plicaturi concauitate eadem vtũtur nequitia, ei loco etiam candelas adhibentes. Miſerum profectò ſpectaculum & quod ferrea etiã pectora poſſit ad miſerationem prouoca-

re. Atqui vbi videt tyrannicus furor obtinere ſe non poſſe quod vellet, aliud ſupplicii genus aggreditur, vt cum ſuccumbit in vno vincat ſaltẽ in altero. Quæſtionibus ergo ſubiicitur: pronúſque ſcamno cuidam impoſitus iungitur, vt moris eſt fieri malefactoribus dum rei veritas ab ipſis requiritur. Hic probè vinculis aſtricti vt ſe mouere nequiret ori inſtrumentũ illud immittitur quod anguſti oris vaſculis imponi ſolitũ eſt ſi quem lignorem vel-im⁹ infundere, ne effundatur. Hoc dũ ori habet impoſitum, iniicitur à carnifice immũdi humoris omne genus, requirentes ea vaſa quorum ipſum conſcium eſſe volebant. Mira profectò conſtantia in laïco, pœnis adeò acerbis obruto quæ etiam à fidei profeſſione ipſum potuiſſent deturbare. An ceſſat barbarica rabies, nondum indignantis animi contu-

macia expleta eſt? an adhuc auaritiæ ſtimulis agitati aurum requirũt, ſibi futurum Toloſanum ſi occupent, tyrannidis vlterioris ſeminarium ſi non conſequantur! Nequaquam ſanè. Aliud ergo tormentorũ genus aggrediuntur. Columnæ, vt prius affigunt hominem quem iam vmbram potius aut cadauer inutilè quàm hominem dixiſſes. Hunc flagellis tã acribus & crebris impetũt vt toto corpore ſanguis dimanaret, nulla pietatis, nulla humanæ cõditionis habita ratione. Et tamen vt erga hominẽ iam pœnis ſolum non enectum, aliqua vti viderentur miſeratione, ſtramina ipſi in carcere ſubiiciunt quem ſi voluiſſent duriſſimo frigidiſſimóque pauimento potuiſſent ſuperponere. Verùm erat hoc ſi quis benè cõſiderabit barbaræ crudelitatis aſtutia, ne ſi corporis tot incommodis vitâ exceſſiſſet,

non potuiſſet truculentiſſimorum ingeriorum nouæ inuẽtionis pœnas ſubire. Collocãt itaque miſeriis oppletum fratrem in ſcamno quodã ad id conueniente vt prius pérque arctiſſimè conſtricti pronè iacentis corpus bullientem, quæ ibidem in lebete ſubiectum habente ignẽ, erat aquam multitudine maxima proiiciunt vt priorũ plagarũ acerbior eſſet cruciatus. Iterum in carcerẽ coniicitur: & tandẽ mortis extrema habita ſententia educitur ad ſupplicij locũ, vbi ſuſpendio vitã finiunt, tot prius exhauſto corpori illatis tormẽtis: Quis eſt quęſo adeò verus cui nõ lubeat, quis adeo dur⁹ qui nõ poſſit optimi fratris tot pœnas, tot verè dico martyria admirari, ſuſpicere & barborũ hæreticorum furorẽ vbertĩ effuſis lachrimis deplorare, lætari verò de inſigni illa cõſtentia qua laïc⁹ non dubitauit cruciat⁹ iſtos acerbiſ-

ſimos proferre.Cõmemorat Euſebiꝰ libro 4. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ capite tertio eius temporis Chriſtianos ea fuiſſe modeſtia vt martyrum nomen ſi ipſis poſt intolerabilia tormenta ſuperſtitibus fuiſſet quãdoque attributum non parum, pia accenſos cholera ſuccenſuiſſe iis quì ipſos hoc titulo cõdecorarent: quod ſi cõfeſſionis nomẽ in eos cõpeteret, abundè ſe fœlices putarẽt.Erãt optimi viri ea humilitate,quãtũuis re vera eſſent martyres,vt tamẽ martyres nollent appellari quæ ſingula aliis martyrij laudẽ peperere, hæc in vnũ præſentẽ martyrem confluxere vniuerſa.O incredibilem animi conſtãtiam,O in perferendis acutiſſimorũ dolorum cruciatibus infractam mẽtem.Illata fuit hæc mors non longè ab Amſtelredamo:ad ſupplicij vero locum per ciuitatis eius aggerẽ vectꝰ,eſt paſſus in pago Rara,cum etiã

Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib.4.cap.3

antequam ſuſpenderetur, intolerabiles iterum ipſi ſubeundæ fuerunt pœnæ, nam candelis rurſus aggreſſi hominem delicatæ admodum & tenere corporis parti, nimirum plãtis eas adhibent. Hac ratione extinctus eſt martyr optimus qui cum veteribus illis martyribus non ſine ratione conferri poteſt: ſi non pleroſque ſuperet, ſummos aliquos certè dolorum acerbitate tolerata ſuperat. Verum dubitandum non eſt quin De⁹ in fine maximè vitæ ſuis ſemper adſit, nec ſinat eos moueri propoſitarum pœnarum atrocitate. Vtinam nobis omnibus ſimilem mentem ingerat Omnipotens vt ſi quando in ſimile vitæ diſcrimen inciderim⁹ conſtanti & erecto animo, dolorũ magnitudine necquicquam exterriti, martyrium ſubeamus. Amen.

Qua crudelitate Gorkcomienſes Franciſcani fuerint Brielæ excepti & occiſi.

ADeò graues imminebant bonis pleríſque hæretici ſua illa incredibili tyrannide; vt multi illorum vim ſibi putarint non amplius expectandam: verùm quidem ſecuti Chriſti conſilium ad tutiora loca ſe receperunt fugientes nimirum de vna ciuitate in aliam. Mathæi ſiquidem decimo capite inquit Chriſtus: *Matt. 10.* Cum perſequentur vos in ciuiuitate iſta, fugite in aliam. Prudenter ſanè admodum cùm adeò nihil ſit tutum ab hæreticorum furore, quin huic Chriſti conſilio aliud oppoſuerint vt fugientium Catholicorum iter aut intercluderent aut eadem munitiora loca in poteſtatem ſuam redigerent. Cur enim impiiſſimi ſatanæ miniſtri aliter agerent quàm fecerunt olim Iudæi qui prophe-

tas ex vna ciuitate in aliam perſequentes non dubitarunt violentas etiam manus poſtea in Chriſtum iniicere. Qua propter minatur iis graui oratione Dominus noſter cum Mathæi 23. ait Væ vobis ſcribæ & Phariſæi &c. Serpentes & genimina viperarum quomodo fugietis à iudicio gehennæ. Ideo ego dico vobis, Ecce ego mitto ad vos Prophetas & ſapientes & ſcribas & ex illis occidetis & crucifigetis & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris & perſequimini de ciuitate in ciuitatem. Intempeſtiua enim hæc ſectariorum ſæuitia eô propemodum euadit ſemper vt à perſecutione non ceſſet donec conſecuta fuerit quod deſiderat. Verum recepturi ſunt dignã factis mercedem, eandem illam quam Iudæis eodem Mathæj loco interminatur Chriſtus, ſuperiorib⁹ verbis hæc ſub- *Matt. 23.*

Matth.23. iiciens : vt veniat ſuper vos omnis ſanguis inſtus qui effuſus eſt ſuper terram à ſanguine Abel iuſti vſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis venient hæc omnia ſuper generationẽ iſtã, Ieruſalẽ Ieruſalẽ quæ occidis prophetas & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt: quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub allas ſuas & noluiſti ! Ecce relinquetur vobis dom⁹ veſtra deſerta bene in Anglia & Flandria relinquitur domus Dei deſerta. Diciturque vereque quod videtur, quæ plaga ſuparat vniuerſas qualeſcumque, vt Deus ſuam gratiã & fidei ſuæ cognitionem, a tota Regione illa abſtulit, quam miſerum eſt neſcire credere, quicunque ſcire cupiunt, horũ miſeriam videat vt fidem veram quam habeant cur ma

gna

gna ſpe operãte charitate retineant. Irati Dei grauiſſima interminatio mirum quod hos non exterreat qui cruciatibus infinitis & perſecutum multitudine longè Iudæos ſuperãt. Vident miſerum populũ Iudaïcum ob perſecutionem hanc adeo afflictum vt verè & domus Iudæoſ deſerta ſit & diſperſi per totum terrarum orbem qui prius florebant & rerum potiebantur eo deiectum vt ſeruitium vbique terrarum incurrunt. Quas non calamitates, quos non aduerſantis fortunæ caſus ſuſtinuit Ieroſolymitana ciuitas Veſpaſiano & Tito vrbem obſidente & expugnante: verum hæc non conſiderant occæcati homines vt qui verum atheiſmum in orbem cum ſtudeant introducere, prouidentiam etiam diuinam è rebus humanis putarunt auferendam. Itaque videntes Franciſcani qui Gorcomiæ degebãt

(eſt autem ea ciuitas Hollandiæ exigua quidem non tamen omnino infœlix) ſummis tormentis paſſim offici ſui inſtituti fratres , alióſque præſtantiſſimos & optimos viros qui fidem Catholicam volebāt eſſe incolumem, fuga ſibi conſulendum eſſe putarunt quod ſcirent ſuas perſonas quæri omnibúſque bonis locari inſidias. Sciebant enim viri ſapientiſſimi quàm nihil poterant prodeſſe ſi manerent, obeſſe autem plurimum populo reliquo , dum conſtantia optimorum virorum rabies hæreticorum magis acuitur & exacerbatur. Adeò nũquam ceſſant truculenti illorum animi quin ſemper cauſas nectant ex cauſis & perpetuam exerceant tyrannidem: Recipiunt ergo ſeſe in arcem quãdam ad eiuſdem ciuitatis mœnia in conſpectu fluminis præterlabẽtis ſitam, euocati etiam eo ab eiuſdẽ caſtri pre

fecto viro ſanè optimo & Catholicę fidei addictiſſimo, qui non dubitauit vt ſaluti fratrum iſtorum & aliorum ſæcularium ſacerdotum conſuleret, infenſos ipſi hæreticorum animos infeſtiores reddere & illorum ſæuitiam exacuere dummodo inermis quæ illorum euaderet manus. Accurrunt itaque & loci firmitate & fortitudine fidentes. Verùm dum Geuſicus furor nihil relinquit intactum, deuicta ciuitate Gorcomica, ſeſe ad caſtri expugnationem parãt, conquirentes in oppido quicquid iſti rei poterat eſſe oportunum: ſciebant enim eo in loco eſſe illos in quos cõcitatã ſuã bilem poſſent exercere. Anno ergo ab incarnatione Domini 1572. menſis Iulij 13. expugnata arce fratres duodecim contumeliis variis, iniuriis, cruciatibúſque quamplurimis affecti in carcerem horridum & ſquallentem coniecti

ſunt vbi poſt acerbas contumelias ab improbiſſimis Gueſiorum millitibus illatas, miſerè variis modis torquentur. Inter hos venerandus Pater Guardianus cum fidei Catholicę aſſertor eſſet ſtrenuiſſimus ex fune quo pro inſtituti ſui ratione cinctus erat, ad oſtium carceris ſuſpenſus eſt, atque ibi glorioſam mortem oppetiiſſet, niſi, Deo ita volente, vt grauioribus adhuc opprobriis & pœnis pro fide Catholica perferendis reſeruaretur, funis fuiſſet abruptus quanquam à ſociis fratribus qui aderãt & tantæ crudelitatis ſpectatores eſſe cogebantur, extinctus putaretur. Verùm an expletus fuerit furioſus militum animus rupto fune dilapſóque corpore? Nil penitus. Nam, tanquam ad irritandam illorum ſæuitiam caſus hic contigiſſet, accurrentes nefarij homines ſpirantémque adhuc comperientes, pedi-

bus humi iacentem proculcăt etiam calcibus in ſancti Patris faciem impingẽtes, variiſque opprobriis onerãtes quem tamen eo tempore nondum occiderunt. Et ne eidem quicquam ad ignominiam deeſſe videretur, quam Chriſtianus omnis ducere debet quammáximè glorioſam multis in venerandum Patrem ingeſtis ſannis & ſcommatibus, crucis figuram in fronte ipſius exararunt. Conſiderare hic licet æſtuantẽ martyrij ſtudio D. Laurentij animũ qui cum ad ſubeũdam pro Chriſti nomine & gloria mortem eſſet paratiſſimus, & ſe relinqui Xiſtum verò ad tormenta rapi videret, querula voce cum eo expoſtulans hac oratione eſt vſus. Quo progrederis ſine filio pater? quo ſacerdos ſanctæ ſine miniſtro properas? Tu nunquam ſine miniſtro ſacrificium offerre cõſueueras. Quid ergo in me diſplicuit

paternitati tuæ ! nunquid degeneré me probaſti? experire vtrum idoneum miniſtrum elegeris cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſationem. Noli me delinquere pater ſancte quia theſauros tuos iam expendi. Conſiderans autem ſanctiſſimus Pontifex incredibilem iuuenis leuitæ ardorem ad tyranni ſubeunda ſupplicia, his dictis eum conſolatus eſt, Non ego te deſerto, fili, inquiens neque derelinquo, ſed maiora tibi debentur pro Chriſti fide certamina. Nos quaſi ſenes leuioris pugnæ curſum recipimus, te autem quaſi iuuenem manet glorioſior de tyranno triumphus, poſt triduum me ſequeris ſacerdotum leuita. Mirus omnino feruor fuit in B. Laurentio qui dolebat occaſionem ſibi præclariſſimæ victoriæ eripi: quapropter grauiter conqueritur & expoſtulare cum Xiſto auſſus eſt

cui prius ſemper adeſſe conſueuerat eidemque erat coniunctiſſimus. Potuit & hac ratione venerabilis Pater querimoniam inſtituere videns confracto fune vitam ſibi adhuc ſuperaſſe. Quid quæſo ſanctiſſime Pater, Deus omnipotens impedimentum adferre poteſt tanto huic meo patiendi deſiderio, pro te mori lucrum puto, & tu tanquam oderis plaſma tuum, lætitia fremara perfuſum me ob oculos poſito eodemque incepto martyrio in maximam coniicis triſtitiam, cum quod bene inceptum erat, vt impediatur efficis. Toties ſacratiſſimam illam filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti hoſtia an tibi obtuli & quantum potui animo ad pietatem compoſito eandam ſecutus ſum, cœleſtia meditatione complectens: verum modò tantum abeſt vt te ſequi omnino poſſim vt inſolito *Philip. 1.*

hoc caſu viam mihi viſus ſis rei præclariſſimæ conſequēdæ voluiſſe omnino præcludere. Verò ignorabat Pater optimus non ablatum ſed dilatum fuiſſe martyrium: forſitan vt qui intrepida erat ad tormenta mēte, conſtantior etiam fieret & præclara ſuæ conſtantiæ præberet argumenta dum metuens, ne, ita diſponente Deo, abripiatur occaſio optima, animū ad ſupplicia quæuis ſubeunda magis exacuit: vt taceā quod neceſſaria adhuc eſſet eius vita fratribus reliquis qui non dubium quin quod ſuperſtitem adhuc haberent, ſummo erant perfuſi gaudio vt non deeſſet illis qui conſolatione aliqua eorum acerbos cruciatus leniret & ad quæuis redderet promptiſſimos. Atque vt eo vnde digreſſi ſumus reuertatur oratio, pari crudelitate qua Reuerendum Patrem Gardianum perſequti ſunt, etiam vicarium eius

quam vicegardianum vulgo appellant ſunt aggreſſi quod acrius in hæreticos inuehi ſoleat. Præclara ſanè ſuppliciorum inferendorum cauſa: præpoſtera certè eſt hæc agendi ratio, dum pro benefactis tormenta inferuntur & quid ad huiuſcemodi conciones ſpe ampliſſimorum præmiorum adduci debebant, grauiſſimis ſuppliciis addicuntur. Sciebat vir ſapientiſſimus quantum momẽti haberẽt ſi publicè refutaretur vaniſſimæ eorum ratiocinationes quibus miſero populo ſubinde ſtudent imponere, ſi de beluina ipſorũ crudelitate, ſi de improbiſſimis ipſorũ moribus ſi denique de eorundem impietate plebs ipſa fieret certior, ſi enim peccatores voluerit publicè redargui Paul⁹ dum 1. ad Timotheũ quinto capite ſcribit Precantes coram omnibus argui vt & cæteri timorem habeãt, quanto magis corã *1. Timot. 5.*

omnibus arguẽdi ſunt hæretici qui non ſolum virtuti & bonis morib⁹ bellum indicunt verum etiam fidei religionique noſtræ quam ſacroſanctam ambabus vlnis debebant amplecti, non autem ſemel ſuſceptam contemnere & reiicere. Huius itaque Patris oris ſclopum imponunt tanquam mox id ſint diſploſuri niſi veram fidem abiurat, exprobantium modo iubentes vt nunc quæ aliquando publicè pro concione ſolitus eſt deblaterare profiteretur ſi auderet. Eſt hoc familiare admodum ſectariis vt dum veritatis luce ſuperari ſe vident, conuertantur ad calumnias & denique ad verbera quod de religioſis viris aliter triumphum agere nequeant niſi impotentis & maleuoli animi hæc edant teſtimonia. Nec tamen in hoc Patre aliquid efficit impius ipſorum furor: nam ad præſens periculum

erecto fuit & prompto animo fidem ſuam conſtantiſſimè profeſſus, dicens certo ſe credere verum Chriſti corpus & ſanguinem ſub panis & vini ſpeciebus in ſacramento Euchariſtiæ contineri . Taceo ſummam ignominiam , præter duos hos pios Patres,etiam cæteris fratribus illatam,dum veſte ſuperiori religionis ſpoliati quã miles partiebatur virgis acriter cęduntur adeo vt ſanguis vbertim deflueret ſic nempe olim etiam Iudæi Chriſtum mortis ſupplicio afficiendum flagellarunt , vt hac ratione extremam ſuam ſæuitiam declarent vt omnibus manifeſtum euadent homines nefarios & impios viros religioſiſſimos ferociſſimè cœdere: cum Iudæorum exemplo , ſaluatorem noſtrum ad ſupplicium expetentium & grauiſſimis tormentis afficientium,hi etiam priuſquam in

crucem pios viros agerẽt,crudeliſſi mè eos flagellarunt. Atque quod crudeliſſimè dilaniati fuerint argumento eſt quod cum poſtea Brielã aduecti eſſent & ibi penè nudi inſanæ plæbis oculis conſpiciendi exponerentur,a plæbe publicè ſumma vocum contentiore clamatũ ſit, Neapolitana eos ſcabie laborare, apparentibus nimirum adhuc in ipſorũ corporibus plagis per modum ſcabici iam incruſtatis. Mitius olim egit Pilatus cum Chriſto quam hi impietatis miniſtri cum his agunt fratribus,malentes ſe ſimiles haberi furibundis Iudæi quàm ad miſericordiam, plagarum multitudine &
Ioan.19. acerbitate induci. Dicebat Pilatus Ecce homo,quaſi diceret,ſat cruciatuum illatum eſt, reuocate tendem animos à concepta hac barbara crudelitate qui iam tot iniurijs tot contũmelis, tot denique cruciatibus il-

latis ſæuitia expleti eſſe deberẽt. Admonet ipſe, nec tamen promouet nam rabiè concitata populus ferocius ipſum ad pœnas & mortem poſtulauit, Non mouenter etiam hi ad miſericordiam ſed inſultant adhuc miſeris & quod ex plagarum acerbitate vitium eorum corpora concepere, hoc voluptatis exprobrarunt eſſe indicium. Hoc itaque in caſtro per dies vndecim detinentur, duodecimo autem die qui erat menſis Iulij ſeptimus Brielam nauigio aduecti ſunt. Eſt hoc oppidum Holandiæ exiguum quidem & obſcurum ſed Geuſiorum beluina crudelitate & Eccleſiaſticorum ex omni ferè Holandiæ angulo eô aduectorum cædibus & ſuppliciis nobile, vbi primum nefariorum ſuorum conatuum ſpecimen in Hollandia ediderant. Ibi ergo in terram expoſiti mox à Comite à Marcka, Guillel

ino à Limmen nomine viro ex il-luſtri quidem familia prognato ſed in Eccleſiaſticos notæ crudelitatis, acerbiſſimè excipiuntur, homine a-deo impio & in optimum quem-que crudeli vt contra probitatem ipſam pietatemque conſpiraſſe vi-deretur, ſecundum Antiochum poſ ſes dicere alterúmque Iulianum a-poſtatam: Ipſe itaque baculum ma-nu geſtans & verba ſingulis inge-minans eos ante ſe agebat. Voluit nimirum ſtrenuiſsimus miles & idē belli dux præclariſsimus hoc ſtrata-gemate ſuam in bello induſtriam declarare, inermes ante ſe & belli-carum rerum imperitos fratres a-gens. Reliqua militum multitudo & plæbis quæ ſpectatū venerat, nul la cōmiſeratione ducta, cōtumeliis & probriis captiuos fratres certa-tim afficiebat. Ducuntur deinde ad patibulum prope ciuitatis por-

tam conſtitutum quod circuire inceſſu retrogrado itaque inde genibus flexis alta voce litanias canere coguntur. Quod ſi qui ſubmisſius canerent, baculo extimulabantur ad attollendam vocem. Qua in re conſiderare licet quam nihil ſit apud illos ſanctum aut ſanctum dum ſanctos omnes hac ratione voluerunt haberi ludibrio ac præterea ſanctiſsimam Dei ibidem contẽptam inuocationem non dubitarunt irridere dum à religioſis Patribus tanquam aliquid ludicium voluerunt eſſe decantatum vt appareat ipſos Deum etiam negare qui ea quibus maximè honoratur, habent contemptui. Poſt hæc ciuitatem ingreſsi eodem quo antea modo ad patibulum quod eſt in medio fori trahuntur, ſacra cantica rurſum cãtare coacti; ſpectante & certatim captis illudente plæbis

multitudine. Poſtremò in fœdiſſimum carcerem conijciuntur: vnde niſi diligenti quorundam notorum ſolicitatione maturè fuiſſent extracti: erant præ intollerabili fœtore nō multò poſt animā exhalaturi. Deinde aliquoties ad patibulum protracti ac viciſſim in carcerem reducti ſunt, ſimul vt inſanæ plæbis libidini fieret ſatis quæ tali ſpectaculo velut paſci videbatur: ſimul & vt nouum ſubinde ſanctis fratribus incuteret terrorem, frequens ac recens ex patibulo conſpecto mortis metus. Ita nimirum libuit illis terrorem incutere viris optimis, ne ſi ſuſpenſi ſtatim fuiſſent, defuiſſet aliquid ad extremam crudelitatem. Inſequenti die omnes à duobus concionatoribus hæreticis examinātur, quorum alter ex mari quæſtum faciens nauta erat Gorcomianus, idemque potator ſtrenuus, homo adeò ſangui-

nis auidus quam qui maximè: alter quamuis nefarius alioqui & impius doctior tamen erat &non ita truculentus. Cúmque omnes vltrò citróque habito colloquio magna animorum conſtantia in fide perſiſterent nec adduci vlla ratione poſſent vt in minimo ab ea recederent, in carcerem reducuntur. Optaſſent ſané eos à recta via deducere & in ſuā pellicere naſcam,non dubiumquin gloriam ex hac re captantes ſi viros pientiſſimos doctiſſimoſque argumentorum vi à propoſito retrahere potuiſſent. Verum aliter res euenit, diuino aſſiſtente numine, quam optarēt. Clariſſimis enim ex ſacra ſcriptura deſumptis argumentes adeò ipſorum improbas ratiocinationes protrinerunt vt facilè hac illos via ſuperandi omnem ſpem ademerint. Erant enim plerique horum Patrū viri in ſacris concionibus celebres,

quos res hæreticorum non latebant vt magna quadam dexteritate ipſorum refellerent argumenta &ſuam fidem religionemque confirmarēt. Aduenit interea Gorcomio Brielā quidam Catholicus qui communi ſenatus populíque Gorcomiani nomine pro captiuis interpelleret adferens ſecum à ſenatu literas quæ teſtarētur omnes eſſe viros integerrimos inculpatæque vitæ qui nullius vnquam vitæ aut fortunis fuiſſent inſidiati: ſed multis modis Rempublicam Gorcomianam adiuriſſent deque ea optimè eſſēt meriti. Atqui ſanè, bene cenſebat ſenatus qui quātumuis haberet forſitā quoſdam à factione Gieuſica nō alienor, nihilominus ꝙ ita eluceſceret fratrū virt⁹ atque ita nota eſſet ipſorum vitæ integritas vt quod meritò reprehenderēt non haberent, haberent autē plurima quæ ſūma laude in illis ꝓ-

ſequeretur, noluit ſibi deeſſe; quim ſi potuiſſet, viros integerrimos liberaſſet. Eſt & hoc iudicis boni, diſpicere nũquid veræ culpæ ſubſit accuſationi. Fecit & hoc in Chriſti iudicio Pilat⁹ qui quamuis atrociſſimis ſuppliciis Chriſtum addixerit, reperta tamen fuerũt quædam in eo quæ a laude non erãt penitus aliena. Ioãnis decimo octauo habemus Pilat⁹ *Ioan. 8.* iterum exiuit ad Iudæos & dicit eis; Ego nullam in eo inuenio cauſam. Eſt autẽ conſuetudo vobis vt vnum dimittam vobis in paſcha: vultis ergo dimittam vobis regem Iudæorũ? Non enim importunæ Iudæorũ crudelitati ſubſeruire voluit Pilat⁹ qui de iuſtitia benè adminiſtrata laudẽ captabat, vt etiam ſubinde faciunt viri quidam, virtutum alioquin optimarum expertes vt quam gerunt prouinciam hanc ſedulò & magna cum laude exequantur.

Gorcomianus verò magiſtrat⁹ quã-tumuis in eos poteſtatem nullã haberet, putauit tamen hac ratione periclitantibus fratribus ſuccurrendũ. Melius enim nouiſſe poterant quibus moribus ſancti Patres eſſent imbuti, qua ratione vitæ curſum peregiſſent, quàm benè denique de Republica eſſent meriti quam impiiſſimorum ſatellitum aliquis, quorũ omnia ſtudia ad ſæuitiam ſpectabant, nulla veritatis rei, nulla probitatis habita conſideratione: adeò vt nec vllam politicè bene tranſactæ vitæ rationem in illis reperire ſit. Vnde etiam eſt vt iuſtiſſimæ Senatorum petitioni, impiiſſimè reſponderint nefarij homines: in fratrum omnium ac ſacerdotum necem ſe conſpiraſſe, vt quoſuis variis ſuppliciis affectos morti adiudicarent. O crudele reſponſum & nulla penitus ratione fultum. Oportebat profectò

aliquorũ aliorũ hęreticorũ moregraue ſaltẽ aliquod flagitiũ præteruiſſe, in quo dum deprehenſi dicerentur, iuſte in carcerem coniectos, iuſtè tot ſuppliciis excarnificatos, inſtè neci datos eſſe paſſim perſuaderetur. Sed extinctis propemodum conſcientię ſtimulis quid rationis poterat eſſe reliqui in nefariis beluis! Legite quæſo in hiſtoriarum monimentis num tale aliquid ab Ethnicis fuerit profectum: ſi rogarentur quadã de re quam præter æquitatem videbãtur peregiſſe, facti ſui rationem reddebant, nec ita inſulſè reſpondebãt vt beluinam hanc in eis crudelitatẽ agnoſceres. HOC itaque in teterrimo carcere conſtitutis venerandus Pater Guardian⁹ vir martirij deſiderio flagrans omnes ſuos fratres & filios in Chriſti viſcerib⁹ dilectiſſimos ad glorioſiſſimæ mortis tolerantiã fideíque cõſtantiã animat, omniũque

corda graui quadã oratione ad martyrium accendit & inflammat, qua in re non minus ſtrenuum & fortẽ ſeſe exhibuit eius vicarius, Hieronymus nomine, Hieroſolymitana profectione clarus & ipſe martyrij ardore æſtuans. Interim duo, Venerãdi Patris Guardiani; fratres germani, viſitaturi & vt ſperabãt liberaturi fratri ad inſulã Brielenſem ſeſe conferunt. Procurante itaque ſatana & à tyranno Lummæo obtenta eum conueniendi copia, ad hoſpitium quoddam nocturno tempore fratrẽ deducunt, vt crapula, parentum & amicorum efflagitationibus, precibus, lachrimis variiſque promiſſis à publica fidei Romanæ confeſſione auerterent, hac oratione ad illum vſi: Non obſcuris inditiis cognoſcere potuiſti hactenus quo in te eſſemus animo quamque tibi fuerimus addicti ſemper & modo adhu

ſumus, non dubitantes etiam cum fortunarum noſtrarum diſcrimine opem tibi ferre, quacunque in re induſtria ſtudioque noſtro opus habueris, nec mirum profecto cũ fratrum nomen ſuauiſſimum huc nos impellere debeat, vt tanquam eiuſdem corporis manus manum fricat, ſic oborto infœlici caſu aliquo auxilium vnus alteri impertiatur, quo factũ eſt tot cum alioquin negotiis quamplurimis eiſque arduis eſſem⁹ impliciti, tuam tamen ſalutem reb⁹ omnibus præferẽtes, iiſdem noſtris negotiis poſthabitis, huc nos cõtulerimus. Age ergo, hac nocte, qua tibi alioquin vitæ diſcrimen imminet, fidem tuam religionémque diſſimula vt viuas. Papæ ſummo renuntia nam & is homo eſt ſimilis nobis, falli & errare poteſt: illi ſi renunties, non Deo ſed homini renunciaturum te, indubium vocare nõ debes.

Perinde nobis eſt quid credas modo à morte ignominiæ plena ſaluum te habere poſſimus quæ iam certo tibi decreta eſt, niſi papiſticam (ſic enim appellāt) fidem & religionem tuam monaſticam aut neque aut diſſimulare velis. Atqui hæc illorum petitio. Verùm animalis homo vt

1. Corint. 2. eſt prima Corinth. ſecundo capite non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei, ſtultitia enim eſt illi & non poteſt intelligere. Non habebant veras de fide ſententias, qui quod corde creditur ad iuſtitiam, ore de eo ad ſalutem confeſſionem faciendam non eſſe putarunt. Non referre vtrū fidem animo cóceptam quis neget, vtrum eandem profiteatur adeò parum habebāt ſpiritus Dei, non percipientes ea quæ ſunt ſpiritus, eò quòd animalis homo terrenis his rebus inuolutus, ad rerum clariſſimarum cogitationem non aſſurgat.

Vileſcunt enim eæ, cùm in externis mundi huius opibus ſummum bonum collocant. Quapropter non magnopere referre putant an fidem neges an profiteare, an Lutheri ſequaris placita, ari vero Caluiniſtarum aut Anabaptiſtarum aut denique aliud ex mille dogma amplexeris, an etiam fidem omnino & religionem habeas. At conſtantiſſimus Chriſtianæ fidei cófeſſor ſubdolam ſatanæ fraudam carnalémque ſratrum ſuorum germanorum ſubolfaciens affectum, Chriſtiano & Catholico pectore reſpondit. Abeſtis profecto à via ſalutis lógiſſimè, germani mei, quos alioquin maximo amore complector, abeſtis dico plurimum à recta ſemita qua ad ſupernas illas beatorum ſedes tandem aliquando veniatis. Vtinam ſanè deuſiſsimas iſtas mentis veſtræ tenebras diſcutiat omnipotens & caliginem

iſtam lumini cordis ſuperductam, qua eſt in omnes bonitate, amoueat quo verum veritatis lumen poſsitis cernere. Id omnibus apud Altiſſimum votis ore. Præpoſtero admodum conſilio huc me cònuenturi veniſtis. Eripuiſtis me nocte iſta ex carcere, abduxiſtis etiam à ſanctis quibus vtebamur de rebus diuinis ſermonibus & ſuauiſsima fratrum meorum aliorumque ſacerdotum ſocietate quam non dubitem omni bus totius mundi opulis præferre. Abduxiſtis me dico è carcere vt vitã hanc caducam & miſeram quæque tandem vel nolenti & inuito omni obuenit homini, mihi ſaluam & integram eſſe faciatis. Verum enimuerò ſi hanc ſeruem eo conſilio quo vos vultis, vt fidem ab negem, Pontifici ſummo renuntiem, quid futurum arbitramini niſi vt hanc vitam terrenam dum ſaluo, excidam à

cœleſti illa vbi eſt gloria infinita & rerum omnium vbertas & copia, vbi ſuppliciorum omnis excluſus eſt metus. Incredibili ſua gratia præuenit me Dominus noſter in caſtro Gorcomienſi dum laqueo propemodum enectus, dilapſus tamen à trabe in terram non negaui fidem ita vt quem conceperam ex mortis imagine iam vicinæ horrorem continere intrepido & erecto permanerem ad martyrium ſubeundum animo. Idem ille qui dedit velle, dabit
& perficere. Nihil itaque agitis fra- *Philip. 2.*
tres mei nec enim vel latum vnguem à religione Catholica recedere eſt animus. Corpus quidem hoc dicis poterunt nefarij ſatellites tormentis afficere, animæ verò nullum omnino poſſunt inferre detrimentũ.
Conſolatur me quod Mathæi de- *Math. 10.*
cimo dicit Chriſtus martyrium omnium perfectiſsimũ exemplar dicẽs,

Nolite timere eos qui occidunt cor
pus , animam autem non poſſunt
occidere,ſed potius timete eum qui
poteſt & animam & corpus perde-
re in gehennam. Nonne duo paſſe-
res aſſe venerunt & vnus ex illes nó
cadet ſuper. terrá ſine patre veſtro.
Veſtri autem & capilli capitio om-
nes numerati ſunt. Nolite ergo ti-
mere multis paſſeribus meliores eſ-
tis vos. Timetes vos qui gaudere de-
beretis,nec mortem hanc deputare
mihi ad ignominiam ſed ad gloriá.
Nos enim pro paucis tormentis glo
ria manet infinita. Omnis enim qui
confitebitur me coram hominibus,
Matt. 18. confitebor & ego eum coram patre
meo qui in cœlis eſt? Qua ſanè fœli-
citate nihil poteſt dici vel fingi aut
cogitari magnificentius vt nimirú
ob confeſſionem iſtam hic à me fa-
ctam, confiteatur me filius apud pa-
trem, cum ſecus negaturus ſit apud

eundem vt ait cum dicit, Qui autẽ negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum corã patre meo qui in cœlis eſt. Verum ne quid deeſſet martyrio ad extremam miſeriã vltra infinitas illatas contumelias, iniuriaſque, vltra acerbiſſima illata ſupplia, accedit & hoc quod inimici hominis, vt ibidem ſubiũgit Chriſtus, domeſtici eius vt qui adorem ad ſubeundummartyriumdeberent magis magiſque fouere ſuis dictis, iidem illi à vera ſalutis via conentur extrahere ſibi addictos, martyrio deſtinatos. Sed qui amat (vt eſt ibidem Mathæi decimo) patrem aut matrẽ plus quàm me, non eſt me dignus. Qui inuenit animam ſuam, perdet illam & qui perdiderit animam ſuã propter me, inueniet eam Conſiderantes illi intrepidum hunc fratris animum excandeſcentes, ita valeducturi eum alloquuntur. Si planè *Matt. 10.*

apud te decretum ſit mori & carnificis non metueris tormenta, nos te amplius viſuri non ſumus, ad lictorem pergimus, qui te in carcerem ad fratres alios reducat vbi mortem in horas ſingulas expectare cogeris. Quibus heroïco pectore reſpondit, Ego ad Dominum Ieſum proficiſcar. Vos valete expectaturi illã æter-mortem ſine fine duraturam: mea verò mors, quã ignominioſam putatis vitam citò largietur æternam. Fratribus itaque germanis omni ſua expectatione fruſtratis & abeũtibus altiſſimo ſomno corripitur. Venerandus Pater, ſuauiter obdormit, ſomnum in horam noctis ſecundam protrahens, ſecura mente, ſerenáque conſcientia fruens. Et ecce ſecunda eadem hora adeſt tortor, Patremque Guardianum (quẽ graui ſomno oppreſſum inuenit) conatur excitare, ſomnumque vellicã-

do diſrumpere, dicẽs? Quid dormis miſerum mortis pabulum? Iamiam tibi moriendum eſt & tu hic tanquam de re tota ſecurus, obdormis. Eundum eſt tibi vt quamprimum dignam tuæ vitæ pœnam inferam. Cui ille magna cum modeſtia reſpondit. Me ſi quæris, lubens congrediar cum ſanctiſſimæ Dei voluntati reſiſtere nec poſsim nec velim. Eadẽ autem hora educuntur omnes fratres cum Guardiano è ciuitate, nõ ſine magno hominum & equorum ſtrepitu, duobus tantum exceptis, quorum alter ratione Gallus (Vuallonem vulgò dixeris) volens mortẽ euadere in egreſſũ ciuitatis, milites gallos compellens ab iiſdem clam eductus eſt, cepitque mox cum iiſdem ſtipendia mereri, religionis ſuæ primum ac fidei Catholicæ facta renũtiatione, ſed poſtea pœnã ſuæ obdurationis ſuſtinuit, accuſat⁹ enim à

conſodalibus quod minus fidus eſſet à lummæo vigeſimo nono Septembris ei uſdem anni ſuſpendio adiudi:atus aſt:ita vt qui prius glorioſam mortem ſuſtinuiſſet cum fratribus ſuſpendij ſupplicio affectus, idẽ poſtea magna cum ignominia coactus fuerit ſubire, iuſto certè Dei iudicio ne fidei proditores putent ſe eiuſdem abnegatione in hoc etiam mundo fore ſecuros, verum ſubituros etiam tormenta quæ ſi ob fidei confeſſionem ſuſtinuiſſent, cœleſtẽ profectò gloriã fuiſſent adepti. Alteri autem qui nondum profeſſus fuerat inſtituti religionem, propter ætatem non ſatis maturam, vita donata eſt. Eductis ergo extra ciuitatẽ captiuis fratribus, cum milites aliquamdiu idoneum locum ſupplicij quæſiuiſſent, tandem reperere horreum quoddã collapſum quod pridem fuerat monaſterij Ruggenſis

prope Brielam quod hæreticorum furor flammis abſumpſerat. Ibi omnes poſtquam ſe Deo mutuis precibus commēdaſſent, ſe mutuò etiam ad conſtantiam in Catholica Romana fide ſeruandam, propoſita ſpe gloriæ ac retributionis iam proximæ, adhortati aut cum priuſquam ad ſupplicij locum ducerentur ſuos cohortatus eſſet Guardianus, Nemo, inquiens, veſtrum, mei commilitones, hăc temporaneam mortem aut ſæua pœnarum tormenta, quæ nobis imminent, pertimeſcat. Nemo hęreticorum minas & ſanguinolentas impiorum manus horreat. Memores eſtote qui non ſunt cōdignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Quiſque veſtrum cum clariſſimo iſto martyre dicat intrepidè, Non ſolum alligari ſed & mori pro Chriſto patatus ſum. Quibus dictis Act. 21.

mirum in modũ omnium ſuorum fratrum animos ad fidei cõſtantiam & quæuis pro Chriſti nomine ferẽda tormenta inflammauit. Aggreditur itaque ſupplicium ſatelles: atque primò quidem paſtorem Gorcomianæ ciuitatis virum & pietate & eruditione clariſſimum, qui ſimilem acceperat cum fratribus mortis ſententiam, eadémque nocte ad ſanguinem vſque duriſſimè cæſus, magnam in fide conſtantiam non ſine omnium admiratione declarauit. Nam dum circumſtantes tortorem ne hominem mox moriturum ea immanitate afficeret; monereat: reclamans ipſe, nequaquam inquit, Paſtor optimus, à flagris ceſſet, ego enim hæc lubens pro Chriſti nomine fero tormenta, cum iſtuum aculei modo non moleſti ſed etiam ſint ſolatio. Hunc itaque laude omni digniſſimum Paſtorem, ſcalas cõſcen-

dere iubet carnifex ac mox præcipitem dedit à ſcalis deturbatum. Paſtorem ciuitatis fratrum Franciſcanorum Paſtor Guardianus ſacratæ mortis deſiderio ardens & velut gigas ad currendam viam crucis exultans ſequitur, idem ſupplicij genus ſubiens, Duo iſto lumina alij fratres impigrè velut fortes athlethæ ſecuti morte pretioſa & ſanguine ęterna præmia ſunt mercati. *Ioan. 8.*

Mors Reuerendi patris Hieronÿmi, qui Guardianum ſequebatur.

Inter cæteros autem fratres præclariſsimus illius collegij vicarius qui Hieroſolymam viſerat. aliquando, Hieronimus nomine patria Vuertēſis æternam ſuæ fortitudinis & cōſtātiæ poſt ſe memoriā reliquit. Ab initio ſiquidē ſuæ captiuitatis cū in carcere tū in naui qua ad inſulā vehebantur, non ceſſauit die ac nocte

ſingulari qua valebat exhortādi dexteritate ſuos confratres ad Romanæ fidei confeſſionem & martyrij gloriam inflāmare. Hic incredibili dicendi facultate præditus, ſuos in fide conſtantes reddidit conſtantiores & ad mille martyria paratiſſimos. Nā primusdum eſſet poſt Guardianum ac illius ſocietatis præſidens: dignū cóſuit mortuo paſtore ſuis commilitonibus ſingulare conſtantiæ exēplar demonſtrare. Cum itaque hic eſſet immolandus, impij qui aſtabant ſatanæ miniſtri quos minimè latebat Hieroſolymorum ſacra illū loca peragraſſe, exprobrantes ipſi ꝙ profectionem hanc inſtituiſſet, tanquam inſtitutum nefarium eſſet regionem illam ſacra Chriſti habitatione reſplendentem inuiſere, Siſtite, inquiunt, maiora ei quam aliis debentur ſupplicia quod peruerſa animi opinione imbutus, putauit

ea loca accedenda vbi idolatria viget vel maximè.Cernite in vtroque brachio ceruleąs & ſubnigras cruces vera ſuperſtitionis papiſticæ (ſic enim vocabant)argumenta. Obliteremus ita & eleuamus idolatrica ſigna,crucibuſque cruentis inſigniantur & madeant brachia quæ dum huiuſmodi vanis ſignis exornare ſtuduit, non parum contaminauit conſciſſáque variis in locis tenera eius carne non pauca tormẽta amore Chriſti ante mortẽ ſuſcepit Necdum tamen cruentes eorum ſaturatur animus, mox tyrannidem tyrannidi addere meditantur dum pedes illos quibus tot terrarum ſpatia emenſus erat, montemque illum ſacrum Sion aliaque loca Chriſti pedibus & præſentia cõſecrata tetigerat, amputari iubent.Verùm confeſtim reclamant alij ne præciſis pedibus, nulla conſcendẽdi crucem poteſtas

relicta videatur. At ille generoſiſsimo animo, Nó vos, inquit moueat, auulſorum pedũ cogitatio nec hoc metu per moti abſterreat mini à cõcepta ſententia. Hoc enim miſerum corpus meum iainiam immolandũ facile multorum manus fune ligatũ in hanc tranſuerſam trabem leuabunt. Indignum ſiquidem me cenſeo cos ſcalę gradus cõtingere, quos duo præſtantiſſimi qui præceſſerunt viri greſſibus ſuis cõnſecrarunt. Agite quod lubet; non enim refugio pro Chriſti nomine tormenta etiã longè grauiſſima. En pedes meos amore illius cuius pedes pro me in cruce confixi ſanguine maduerunt, lubens offero, omnem in eos tyrannidem exercete. At illi inuictum & conſtantem ipſius animum admirantes & ad aliorum mortem rabido ac furibundo ſpiritu feſtinantes præcedente carnifice iubent aſcen-

dere quem reſignata prius inmanus Chriſti anima in glorioſa Romanæ fidei confeſſione perſeuerētem impietatis ſatelles præcipitem dedit: Subſecuti ſunt huc alij qui intrepido animo mortem ſubire non dubitarent vt coronas immarceſsibiles reciperent. Sacerdos autem quidam, quantumuis eruditione aliqua minimè clarus, homo ſimplex qui iam quarto è manibus impiorum elapſus fuerat, videns fratres hilari ac beto vultu ſibi mutuò ſub cruce congratulari & ad moriendum pro fidei Romanæ confeſsione fortiter ſe inuicē exhortari, & ego inquit, cum fratribus mori volo. Nec enim dubito ſanctis eorū animabus cælos apertos eaſdémque ad ſupernas ſedes rapi. cótinuo ad ſupliciū adducitur ac eodē quo alij mortis genere afficitur mortuos mox veſtib⁹ quæ tamē paucę & exigui pretii illis relicti erāt,

ſpoliát. Tũ nequid extremæ crudelitati deeſſet, alios narib⁹, alios aurib⁹, etiam ante mortem, quibuſdam, alios etiam(ô rem nefandam) membris pudendis mutilant, quibus ad galeros affixis, perpulchrè, vt ſibi videbantur, ornati, tanquam inſignẽ è nobili pugna victoriam reportantes in oppidum regrediũtur. Tertiò demum à ſupplicio die eodẽ in loco quo morte affecti ſunt, humo ſunt conditi. Sanctiſſimorum virorum mors miraculo eſt nobilitata. Quidam enim ciuis Gorcomianus Mathias Thoranus nomine qui annis iam 20. intolerabili & incurabili herniæ dolore, ita vt iam vitæ ſpes nulla ſupereſſet laborauerat, fratrũ Gorcomienſium conſtãtem audiẽs mortem, Orate, inquit pro me Patres & fratres venerandi quos, clara illa & conſtanti fidei Romanæ confeſſione non dubito martyres effe-

ctos, multis præſentibus diuinam opem per merita & ſuffragia martyrum iſtorum implorans. Id vbi fecit continuò à periculo in quo verſabatur liberatus & ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt. Hæc partim à ciuibus Gorcomianis qui ſanctorũ fratrum morti interfuerunt partim ab aliis fide dignis accepimus, hocque breui verborum compendio glorioſos eorum agones & fortia certamina victorias & de hoſtibus ferociſſimis triumphos deſcripſimus.

Nomina porro eorundem fratrũ qui æterna memoria digni ſunt breuiter adiecimus.

Pater Nicolaus Piickius Gorcomianus Guardianus qui in vita ſua, etſi pauco tempore (iuuenis enim adhuc ætate fuit) Eccleſiæ Chriſti frequentiſſimis concionibus plurimum profuit,

Frater Hieronymus à Vueert Vicegardianus, qui aliquãdo ſummo cum animi affectu profectionem Hieroſolymitanam inſtituerat, æternam ſuæ fortitudinis & conſtantiæ memoriam (vt dictum eſt) poſt ſe reliquit. Erat enim ardenti ſpiritu ipſis etiam dæmonibus terribilis.

Frater Guilhadus Danus, ſacerdos, octogenarius, olim ex Darnia in has partes religionis cauſa profugus.

Frater Nicaſius Heſius vir ſingulari vitæ ſanctimonia præditus & in ſacra Theologia maximè verſatus.

Frater Theodoricus Eindemus qui ſororibus tertij ordinis ſancti Franciſci in Gorcomienſi oppido erat à confeſſionibus.

Frater Antonius Hornaër ſacerdos & concionator.

Frater Godefridus Meruel, ſacerdos & confeſſor, Eccleſiæ ſacriſta.

Frater Franciſcus à Bruxella ſacerdos & concionator.

Frater Petrus ab Aſcha laïcus profeſſus.

Frater Cornelius à vuiik, familiaris Fratrum.

Eodem anno 1572. menſis Iulij die 23 Frater Rennerus à Lintris ſacerdos & concionator cum ciuitas Ruremōdenſis ab aduerſarijs fidei proditione caperetur, gladijs impiorum ante venerabile ſacramentum per latera tranſfoſſus fœliciter obdormiuit in Domino.

MARTIRIVM PATRIS GVILELMI A GONDA QVOD ANNO

milesimo ſeptuageſimô tertio, quatuor Septembris paſſus eſt.

ANNO Domini 1573 vltimo Auguſti qui fuit dies Lunæ inter quartem & quintam matutinas expugnata eſt à Geuſijs Belgij hæreticis ciuitas Montis ſanctæ Gertrudis, occiſi præſidiarijs Regijs militibus, qui dũ nõ probè ſuo fungũtur officio hæreticis locum fecere. Conſtituti ſiquidem ad oppidi portas vt ciuitatem cõſeruarent, ſomno ſopiti negligentiuſque agentes cum ſunt, ingrediũtur hæretici qui gaudebãt occaſionẽ ſibi pulcherimã hanc dari. Omni enim diligentia inſiſtunt perpetuo vt alie

na occupent, aliorum incommodo ſeſe ditent & tandam Catholicos omnes, ſi poſſint, trucident, animabus omnium inſidiãtes. Quid enim aliud agerent miniſtri ſatanæ quàm ſuos dilatare terminos, contrahere autem eorum quibus perpetuò ſunt infenſiſſimi. Maxima itaque fèrocia hanc vrbem ingreſſi curſitantes furioſorum & indomitarum bellua rum inſtar quemcunque obuium ſacerdotem & regium militem ad mortem quærunt & trucidant. Videns enim Rex Catholicus graues omnibus Catholicis imminere hæreticos & per notos quoſque vbique proditiones, cum aperta manu ciuitates occupare nequibant, procurare: putauit ibi etiam collocandum præſidiũ quòd ciuitas i& Hollandis & Brabantis eſſet vicina. Occurrit illis inter reliquos Canonicus quidam multo honore digniſſi-

mus, Guillelmus Galenus nomine quem immaniter trucidarunt plurimis in illum coniectis opprobrijs & contumeliis. In carcerem quoque coniiciuntur ſacerdotes reliqui qui primæ neci ſuperfuerãt: fit idem & regiis militibus quod eorum vim formidarent, ne ſi forte liberos dimitterent, ſentirent aduerſarios atque vt eſſet vbi ſæuitiam ſuam & crudelitatem exercerent. Inter ſacerdotes verò vnus fuit quem nulla ratione putarunt ſibi elabi debere. Vir ïs erat vitæ ſanctimonia clariſſimus, ſingulari præditus eruditione atque adeo in dicendo promptus & dexter vt inter prouinciæ eius concionatores eſſet admodum celebris: vnde & factum eſt vt in eiuſdem oppidi Eccleſiaſtici fuerit dilectus. Hunc accipiunt (hôc ipſis magis exoſum quod ſanct.i Franciſci inſtitutum ſequeretur) manúſque eius arctiſſimè vin-

culis conſtringunt ne tam oportū-
na præda elabatur. Hic illis erat ho-
minum omnium maximè nefarius,
patriæ proditionem machinatus,
nihil non tentaas vt tyrannis quæ-
dam in regionē illam induceretur,
quapropter mille crucibus dignum
hæc & alia plurima impiè obiicien-
tes & ſæpius ingeminantes. Atque
hoc tantò magis(vt arbitror)agebāt
quod ſępi⁹ ex ſuggeſtū ſceleſtiſſimas
ipſorum machinationes detexerat,
illorum in omnibus agendi rationē
necquicquam ſilens ſed liberè pro-
fitens,vt hoc modo qui ab ipſis ineſ
cati erant, tempeſtiuè pedem nefer-
rent & ſeſe ad bonam frugem reci-
perent.Dici enim non poteſt quid
boni Eccleſiaſtis induſtria efficiat
dum ſibi non parcens, oportunè &
importunè inſtat vt populo conſu-
lat,caueat ſibi à falſis fratribus ne iis
communicet, ne forte hac ratione

ſcabiem etiam ipſis ſuam affricent. Hæc qui facit impenſius, quid mirũ ſi exacerbatos hæreticorum animos in ſe concitet: & tamen non currandus eſt ipſorum furor, nam animæ obeſſe cum nequeant, in corpus tan tum ſæuiunt. Ducunt itaque virum optimum ſceleſtiſſimi nebulones ad domum Præpoſiti tanquam nequiſſima deſignaſſet facinora, quo forſitã nullus inculpatæ magis vitæ eo in oppido reperiebatur? hinc ad carcerẽ rapitur vt hac ratione etiam ſuſpicionẽ malefacti ingererent populi animis dũ improbis & ſceleſtis huiuſcemodi pati cõtingat, nõ autẽ probis & laude digniſſimis viris. Hic dici nõ poteſt quã arctis illũ cõſtringãt vinculis, quã nihil relinquãt intactũ ꝙ ipſis incõmodare aliquo modo poſſit adeovt etiam planè conarẽtur, laqueo ipſi iniecto vitã adimere tã furioſi ſunt omnes eorũ conatus.

Verebatur ſanè ne plæbs cui probè viri optimi vitæ omnis ratio erat perſpecta, concitata ſeſe coniungeret, vt ipſum vi eorum manibus eriperet. Multis enim terribilis qui eſt, multos etiam vt metuat eſt neceſſe, atque hoc magis quod cóſcientiam ipſorum impacatam perpetuò ſit quod rodat nec ſatis ſinat eſſe ſecuros. Videbant in pleríſque ciuitatibus Catholicam religionem vigere adhuc, paruúmque eſſe eorum numerum quos ſibi habebāt addictos, quorum tamen operâ vtendum illis fuiſſet ſi quis ſuperueniſſet caſus quo ſeſe Catholici in libertatem vendicare voluiſſent. Itaque eos quos putabant illis maximè fore vſui, occidere maluerunt quàm diutius permittere eſſe ſuperſtites. Verùm Dominus qui in futuro ſuo martyre glorioſus eſſe voluit non permiſit eum hac vice ſtrangulari.

Innoteſcere enim debebat mentis eius conſtantia, erectus ad martyrium animus, innoteſcere etiam debebat omnibus non carcere Eccleſiam hoc tempore optimis viris qui non dubitarent cum vitæ diſcrimine fidem Catholicam publicè profiteri. Oblaterāt hæretici penes ſe eſſe Eccleſiam, ſplendoris illius priſtini nihil apud nos eſſe, ſed mentita eſt iniquitas ſibi: quandoquidem cum nihil apud eos ſit, quod arguere poſſit ornatum aliquem veteris florentis Eccleſiæ, cumulatiſſimè plurima in noſtra comperiantur. Nam quod à Magiſtratibus Catholicis aliquādo in vincula coniecti, intrepido animo videantur mortem ſubire: non hoc ad martyrium referendum eſt, nō enim pœna ſed cauſa martyrem facit, vt taceam quod diabolus quibuſcúnque poteſt rationibus ſuis ſubueniat ea in neceſſitate conſtitu-

tis, ſciens ſibi ſuóque regno hac ex apparente ſuorum conſtantia ſummam̃ gloriam parari. Cohibuit itaque Dominus ſacrileges militum manus ne eum morti traderent: Ea eſt enim Dei Optimi Maximi prouidentia vt quos per agonem martyrij coronare decreuit, eorum glorioſa certamina longius protrahat vt dũm ex ipſis & ex nobis alij proficiũt, Chriſtus in ſuis ſemper ſeruis & in Eccleſia ſua ſancta laudetur. Videns hoc furore concitatos milites, putauit ſanctus Pater omnino ſibi eſſe moriendum: quapropter ſeriò ad Deum direxit animum, terrena hæc deſpiciens, floccifaciẽs etiam quęcunque in ipſum parabãtur tormenta cùm iam in viuendo naturæ propemodum feciſſet ſatis, multo vſu crebráque experientia edoctus quàm ſit miſera hæc & caduca vita: quàm ea fœlix ſit & beata qua ſupe-

ri fruuntur ignorare omnino non potuit qui indies in ſacris literis verſabatur, qui hic in terris conſtitutus vitam in cœlo degebat, vt taceam quanta illum grãtia Deus voluerit eſſe imbutum vt leuiori negotio ſupplicia etiam atrociſſima ferret, cum hoc Dei Eccleſiæ lucrum eſſe putandum ſit ſi ſanctiſſimi viri tyrannorum tormenta non exhorreãt ſed conſtanti ea animo patiantur. Chriſtiano ergo pectore in hæc verba prorupit, Quod de me ſtatuetis, id liberè agite: mori paratus ſum ob nomen Domini mei Ieſu Chriſti & Catholicæ Romanæ fidei profeſſionem. Nec enim dubitauit ſanctus Pater certam & ſtabilem animi ſui ſententiam aperire cum ſemper ad martyrium fuerit promptiſſimus, vt in hiſtoriolæ iſtius decurſu dicetur. Variis ergo contumeliis & opprobriis laceſſitum venerãdum Patrẽ in

poſterius harum ædium cõclaue abducunt tanquam eum, qui cum iam morte dignus ſit, ea diligẽtia aſſeruari debeat ad iuſtitiã, qua adhibita nõ elabatur. Hic vir prob⁹ & religioſus Pater tertij ordinis ſancti Franciſci Frater Ioãnes Vogenſanck confeſſarius monialium eiuſdem ciuitatis & huius hiſtoriæ Teutonicus ſcriptor, in cuſtodia, grauiter in capite vulneratus, tenebatur. Quem cũ pari ardore & cõſtantia ad martyriũ capeſſendũ accenſum videret, ſummo perfuſus gaudio hac oratione vſus eſt. Ago tibi gratias Dñe Ieſu Chriſte quod me hoc honore proſequi dignatus fueris vt pro confeſſione Catholicæ Romanæ fidei dignus habear vinculis conſtringi Deus, iſſimas mẽtis meę tenebras gratiæ tuæ lumine quæſo diſſipa vt fortiter res omnes aduerſas perferã nec tormẽtorũ vis & grauitas me à ꝓpoſito moriẽdi deterreat.

Recedant obſecro procul diabolicę machinationis vires ne illis ſuccumbens in vitæ ęternæ diſcrimem incidam ſi vitam hác temporalem amplector & ſeruare deſidero. Ne ingerat aduerſarius noſter truculentiſſimus harum rerum cogitationem quarum ferè ſolet dum moriẽdum eſt aut grauia ſubeunda tormenta. Perſpiciebat ſanè diabolico ſtudia in fine vitæ & alias ſępe dum hęc ingerit, ſtultum id eſſe moriendi ſtudium, peccatorum noſtrorum eam eſſe grauitatem vt tormentis quantũuis acerbis expiari nequeant: quare de toto ſalutis negotio deſperandum! ſi verò perſenſerit boni viri animum hoc arieto non poſſe labefactari, aliam viam ingreditur & mentem noſtram ad deſidiam prouocare contendit dum nimium de gratia diuina fidentes peccatorum noſtrorum nullam rationem habe-

mus. Poſt hæc miniſtri ſatanæ manꝰ eius diſſoluut abſcedũtque, relictis ibidem ſolùm duobus iſtis vbi noctem illam vt & ſequentes quatuor diuinis planè ſermonibus tranſegerunt, Deo ipſi laudes debitas perſoluentes precibuſque & orationi dã-tes operam. Confitebantur quoque alter alteri peccata ſua vt breui in confeſſione veræ fidei roborati, fructum optimum eiuſdem confeſsionis conſequi valerent. Videbant ſiquidem, nec enim obſcurũ eſſe poterat homines impuriſſimos ſceleſtiſsimoſque tanto mortis inferendæ teneri deſiderio vt nulla eſſet futura mora quin eos atrociſsimi ſupplicij genere afficerent, quapropter mutuò ſeſe his efficacibus ſcripturæ verbis conſolati ſunt. Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabi-

Rom. 8.

tur in nobis: nam quod leue & mo-

mentaneum eſt tribulationis, æter-
num pondus gloriæ operatur in no- 2. Cor. 4.
bis, & quomodo ſancti martyres
digni habiti ſunt pro nomine Ieſu
non ſolũ cótumelias & iniurias pa- Actorum 5.
ti ſed etiá quod pro fidei Catholicæ
firmamento mori parati volunta-
riam ſe hoſtiá obtulerunt pro Chri-
ſti nomine. His & aliis ſanctis elo-
quiis vſque ad feriam quintá vna-
nimiter ſunt vſi. Hac tunc ad eos ve
nit, miſſus (vt aiebat) à principè Au-
riaco Adrianus Gockius Apoſtata,
olim inſtitutum regularium ſancti
Auguſtini propè Dordracum ſe-
cutus, hac gratia vt cum eis de fi-
dei negotio loqueretur, quod pu-
taret viros hos poſſe forſitam à ve-
ra fide Romana deduci vt ſuam il-
lam diabolicam ſectam amplecte-
rentur. Quem cum videret ſanctiſſi-
mus Pater Guilelmus, verus Chriſti
athleta, ſuſpiciés in cœlũ his verbis

ad Chriſtum vſus eſt Domine Ieſu Chriſte qui Apoſtolis tuis dixiſti Cũ ante reges & pręſides ducemini propter me nolite cogitare quomodo aut qui loquamini. Non enim vos eſtis qui loquimini ſed ſpiritus patris veſtri qui loquitur in vobis ſancti ſpiritus gratiam hoc in certamine imploro vt habeam quod furenti aduerſario reſpondeam qui nullũ ſcio non mouebit lapidem, vt me à vera fide, ſi poſſit deducat. Adeò verò certamine initò impudentiſsimi apoſtatæ rationes argumentorum pondere refutauit quod diceret nõ haberet non ſine magna certè gloria Reuerendi Patris quod populus ibidem conſiſteret qui quamuis placitis ſancti Patris non adhibebat fidem, tamen animaduertebat nõ ceſſiſſe Patrem ſed ſuperaſſe, quod ipſum etiam non paruam ignominiæ notam fugitiuo iſti inuſsit. Atquę

ita fit profectò vt nullos ſibi magis addictos habeat humani generis hoſtis diabol⁹, quàm hos apoſtatas, vt videamus paſsim ex illis iam eſſe præfectos belli plurimos, plurimos etiam hæreticorum eccleſiaſtes qui ſe miniſtros appellãt, non dubium quin ſatanæ, atque hi potiſsimum qui derelicto Dei ſeruitio in quo ſacras perpetuo decantabant laudes, diabolo maluerunt obſequi & eidẽ omne ſeruitiũ exhibere, pertæſi nimirum intempeſtiuæ iſtius (vt ipſi putant) monaſtice ſeruitutis: ſed reperturus eſt hos Deus qui ex caſtris ſuæ ciuitatis profugientes, hoſtibus eandem prodere omni, qua valent, induſtria & ſtudio conantur & ad id laborant. Itaque in maledicentiæ verba (vt huiuſcemodi hominũ gen⁹ ſolet veritatis lumine perſtrictũ) prorumpens. Tu inquit, ſubdole & perfide monache te pares iubeo, nã

craſtinus dies tibi vltimus eſt futurus: moriendum eſt enim. Quo audito, ſereno vultu mentéque Hilari ad Deum hac precatiŭcula vſus eſt. Domine Ieſu dignus habear pro cõfeſſione tuæ fidei in qua natus ſum vſque ad mortem perſeuerare. Hoc inexhauſtam tuam miſericordiam humiliter imploro. Quibus dictis miniſter hic abſceſſit. Pater verò cõcaptiuum illum ſuum ad conſtantiam cohortat⁹, dicebat, fortiter perſiſtamus in fide & magna animi alacritate eandem profiteamur. Quoties memini me dicere genitrici meæ. Vtinam ſanè eſſet aliquando dies quo filium habeas qui pro Chriſti nomine velit torm ẽta & cruciatus ſuſcipere, necnon mortem etiã, ſi ſeſe occaſio dabit, oppetere. Iã optimè ſpero quod diu deſideratis votis clementiſſimus tandem faciet ſatis, ſæpius ingeminãs vocem illam,

Conforta me Domine, conforta me. Tota itaque die illa diuinis colloquiis ſe recrearunt. Feria verò ſexta inter ſecundam & tertiam matutinas conſurgens venerabilis Pater Guilelmus, genibus prouolutis & expanſis in cœlum manibus orationem fundit ad Dominũ. Et ecce horam circiter octauã adueniens Geuſicæ vnius cohortis præfectus cui cognomen erat Marliandt, carceris præpoſitum interrogat dicens Vbi eſt monachus ille verbi papiſtici cócionator. Quam præpoſitus demóſtrãs digito futuram Chriſti hoſtiã, aiebat. Ecce ille eſt. Ac ſtatim præfectus mortis ſententiam proferens, inquit. Vt te præpares iubeo, nam laqueo ſtatim extinguẽdus es. Qua accepta ſentẽtia cófeſſor Chriſti Guilelmus ſublata voce clamabat dicẽs, Domine Ieſu Chriſte qui incredibili illo quo ardebas noſtræ ſalutis

procurandæ deſiderio, non dubitaſti crucis ſubire tormentum, illumina mentem meam gratiæ tuæ ſplendore vt mihi in extrema iſta vitæ hora opem ferens fortiter pro tui nominis gloria in fide perſiſtam: nã pro fide Catholica Romana occũbens, mortem magis dignam ſubire non potero. Quibus dictis ſtatim ſe in genua compoſuit vſitatũ illud Catholicis omnibus vſurpans, Deo gratias. Vix autem oratione completa aduenit impius ille ſatelles, manus vt porrigat ſanctus Pater mandans quod certè nõ inuites ſed alacri animo fecit: omnis ſiquidem mora lõga illi videbatur qui amore martyrij iam æſtuabat adeo vt non dubitaret pro nominis eius gloria mortem etiam oppetere, memor acerbiſſimæ paſſionis quam Chriſtus ſummo noſtri amore flagrans ſuſcepit. Hac igitur eſt iterum ad Deum

oratione vſus. Ieſu fili Dei qui vt miſerimo mihi ſalutem procurares, ad columnam ligari te permiſiſti, acerbiſſimè cędi, adeſt iam hora qua ego pro nominis tui confeſsione nó ſolum non recuſo ſupplicia etiam grauiſſima ſuſtinere , ſed & vitam tuo nomini conſecrare, mori paratus. Quare ſupplico, vt cum ſine te nihil poſsimus facere , auxilio tuo & præſenti numine adiutũ me ſentiá, ne ea ſubtracta nefariorũ hominũ & peſsimè de te ſentientium crudelitati fiam ludibrio ſi tormentorum vi compulſus, dicam inſipiens non eſt Deus quod profecto non poſſet nó maximè eorum quos olim in fide confirmarem animos labefactare plané vt dubitarent & malè ſentirẽt de diuinis illis myſterijs quæ veriſsima eſſe nulli profectò eſt dubitandum. Carnifex verò qui virum optimum breui erat neci daturus, inſa-

Ioan. 15.

Pſal. 2.

no ſimilis adeò bonis Patris cõſtrinxit man⁹ vt ſanguis etiã ſæqueretur qui in terram decidens barbaræ crudelitatis daret inditia. Percepit diffluere ſanguinem Pater nec expauèfactus effuſione tali, hortatur carnificem vt ſtringat fortius ſi ita ipſi viſum fuerit quod iam ſemel deliberato animo conſtituiſſet pro nomine Domini mori. Iterum ſeſe in genua componit & oratione ad Deũ fuſa obſecrat vt cruciatus hos patiẽti animo,gratia eius aſſiſtente, perferre valeat. Accedit lictor virúmque adhuc in oratione conſtitutum in medium fori ciuitatis adducit, ibi enim ſupplicio peragendo parabatur locus. Valedicit tamen prius fratri optimo quem eodem cum ipſo conclaui clauſum fuiſſe diximus, ſæpius valedictionis verbum ingeminans, poſtulans etiam pro ſe orationem ad Deum fundi vt martyrium

magna conſtantia ſuſtineat: carnifici auté vt feſtinaret etiam dãs præceptum quod diceret ſe à Chriſto martyrium omnium principe, animæque ſuæ ſponſo expectari. Trahitur itaque ad ſupplicij locum non ſolus ſed regio quodam milite comitatus qui primo Geuſiorum ciuitatem inuadentium furori ſuperfuerat. Iterum ergo flexis poplitibus Deum deprecatus eſt vt eum hoc in certamine adiuuaret quod ſciret nullius ſe adiutorio, illo in rerũ ſtatu magis egere quam diuino. Miles autem regius ſcalas conſcendẽs ſancti Patris pręcibus ſæriò ſe commẽdauit: nec enim dubitabat viri optimi preces fruſtra non implorari quòd eſſet ob ſingularem vitæ ſanctimoniam Deo chariſsimus. Magna ergo animi conſtantia militem exhortatur, eidem voce clariſsima ſymboli textum recitans. Milite hac

ratióne iam neci dato, Patr. sGuilelmi collum laqueo cingitur, conſcédenſque patibuli ſcalas in hæc verba ciues ſublata omninò voce compellauit Ciues mihi longè chariſſimi qui Chriſti fidem veram colitis obſecro vos perſiſtite in fidei Catholicæ profeſſione, vt vobis ſæpius variis ſermonibus ſum cohortatus; quam ego modò morte mea non inuitus ſed lubentiſſimè, diuino aſſiſtente numine confirmabo. Impi⁹ ſatanæ miniſter præfatus apoſtata indignè ferens quod populum ad fidei conſtantiam exhortaretur: denuo acceſſit perſuaſurus, vt putabat aliquid quo boni Patris animũ frangeret, ſed ille indefeſſa voce latino ſemiore vſus ſimilibus verbis eum rececit. Secede procul à me, vt te audiam planè adduci non potero, nihil agis, quapropter in iis quæ fidei noſtræ ſunt non eſt quod me expe-

riare:

riare. Hoc dicto attollens vocē clamauit Domine dimitte illis quia neſciunt quid faciunt,Hoc ad ignominiam ſuam ſpectare putantes circumſtantes milites, Neſcimus, inquiunt, quid agimus! inſultantes, certè dicũt,ſcimus quid agimus collum enim fune cinximus iam amamplius conſtringēdum. Prorupit itaque in extrema Chriſti verba dicens, In manus tuas Domine,commendo ſpiritum meum. Furibundi milites viri conſtantiam admirati, eũ è ſcalis ſtudent abripere vt viuum quãtuor equis diſtrahant.Quod vbi præfecto militũ innotuiſſet, ſignũ lictori dat vt eum è ſcalis deiiciat quod & fecit.Milites verò vt maiori eundem pœna afficerent lictori præcipiunt ne corpus premat vt vitâ longius protractâ,grauius ipſi eſſet ſupplicium.Verùm euocauit ſuũ ſtatim ad ſe martyrem Deus, vnde

Pſal.30. Luca 20

nec eius membra vlla ex parte commota ſunt, facies verò eius multò, quàm cũ viueret, erat ſerenior. Fuit ea res pleríſque ſummæ admirationis cauſa: atque eô hęc eius profecit conſtantia & extremæ horæ benè tranſactæ contemplatio vt hæretici non paucis ad meliorem frugem ſe reciperẽt & relicta peſſimi dogmatis inſtitutione veram de noſtræ religionis myſteriis fidem amplexarẽtur. Ignoro equidem quid magis hic mirer crudeliſſimam nefariorũ militum ſuperbiam qua non patiebantur vel minimum aliquid de fide Patrem ſanctiſſimum tractare, an verò Patris optimi conſtantiam qui intrepido ſemper animo ne latum quidem vnguem ob illorũ tormẽta à vera fide putauit ſibi recedẽdum. Contendit hic indubiè omnibus ſuis machinationibus diabolus vt ſcæleſtos redderet ſceleſtiones dũ

ā vera fide vnunquéque conantur abſtrahere. Cótra tamen, qua eſt miſericordia De,⁹ſuo adfuit martyri ne inſanorũ hominũ pateret ludibrio. Hoc itaque modo Pater optimus vitam glorioſa morte cõmutauit.

De duobus fratribus ordinis ſancti Franciſci quorum prior viginti & vno acceptis vulneribus inter Louanium & Dieſtemium occiſus eſt, alter inter Louanium & Thenas repertus eſt mortuus.

HÆreticorũ ſæuitia non̄ vnius alicui⁹ prouinciæ terminis circum ſcripta, in omnes Belgij partes longè latéque euagata efferbuit, dũ nullubi non ſunt qui nefariis eorũ conatibus faueant eóſque cupiãt eſſe ſaluos & votis ſuis optatis potim, quòd tum maximè fit cum animis ſuis incluſum virus in religioſos viros poſſunt effundere. Fuerunt itaquè apud Brabantòs etiam quãplurimi, qui, Batanorum exẽplo, quoſcũque reperirẽt inſtituto alicui monaſtico addictos, hos omnes aut neci

darent,autprofecto grauiſſima pri⁹ in ſingulos torméta deſignantes,in exilium coniicerent.Inter eos quos turpiter occiderunt fuit iuuenis quidam ſumma pietate lectiſſimíſque moribus prędítus, inſigni adeò ingenio vt cum ob præclariſſimas dotes omnibus eſſet quam gratiſſimus maximum certè ſui apud omnes deſiderium reliquerit. Nomen huic erat:Ioannes Amſtelrodami celebri Hollandiæ oppido, Emporióque claro natus. Diaconatus hic ordiné Louanij fuerat conſecutus. Hic ergo oportunus illis viſus fuit in qué rabiem ſuam exererent.Dum enim ad Dieſtenſe ſuum Collegium reuertitur(eſt autem Dieſtemium ſey Louanio miliaribus diſsitum,itinere non ſatis,ob ſyluam periculis plenam,quæ in eo eſt,tuto) graſſantibus paſsim & depopulantibus omnia ſceleſtiſsimis nebulonibus , in

crudeles illorũ incidit manus. Quid itaque agunt audaciſsimæ beluæ in ſylua latitantes? Incredibili furore adoriuntur optimum fratrem, magnáque vi illum aggreſsi, occidunt, viginti & vno datis vulneribus: quæ quidem res immenſam ipſorũ barbariem declarat vt vnica mors tot debuerit conſtare vulneribus quæ vnico poterat perfici: Sed habet hoc ſibi familiare admodum & tanquã proprium hæretica crudelitas vt neci datura aliquem præmiſsis primũ incredibilibus cruciatibus hoc agat, poſtea etiam ſæuitiam ſuam expletura, ſi non ſatis crudeliter, rem trãſactam eſſe arbitretur, dum ſtrictis etiam gladijs cadauera inuadunt impij, ignominiæque plena exẽpla circa mortua corpora oſtendunt. Vſurpare hic mihi liceat iſtud patriarchæ Iacob dum monſtratur ipſi filij Ioſeph, Gene. 37 capite, tuni- Gen. 37.

ca. Hanc enim cum cognouiſſet pater, ait, tunica filij mei eſt, fera peſſima comedit eum, beſtia deuorauit Ioſeph. Beſtia peſſima hæc inuidia quæ innocentem Ioſeph vendidit, Abelem occidit. Socratem idterimi fecit. Cuius verba de hac beſtia dum ad mentem reuoco mirabile dictu, fuiſſe eius patientiam video vt apud Diuum Auguſtinum de ciuitate dei per cãdidè eſt videri, hæc enim ſunt, cum Socrati ab Anito, & Lycone accuſato diceretur, vt caueret, ne ab accuſatoribus opprimeretur quandoquidem grauia illi obieciebant crimina. Non me inquit vel accuſatores periment vel crimina: ſed inuidia ſola beſtia peſſima, qua præclari viri interierunt, & interibunt. Quibus vero verbis perſpicere licet. Nihil ab inuidia tutum deprehenditur, adeo ſagax ſolers ad nocendum eſt, vt neque religioſum vel quem-

cũque alium ſiuè ſanctum ſiuè non quieſci poſſe permittat. Nã aliquando de latores falſique teſtes, qui vt infames omnibus ordinibus exoſi ſunt, ab ipſis iudicibus in eos, quos exitio deſtinarunt, ſubornantur, ac de inſtituenda accuſatione edocentur: ita vt non propter admiſſum crimen, aut malignè conceptum & falſo delatum teſtimonium inſontes pereunt: ſed ob inuidiam potentiorum . Sed ad materiam reuertamur. Ferociores ſiquidem beluis hęretici non vna moriẽdi ratione contenti ſed (vt ita dicam) plurimas bar baro planè exemplo requirentes, iuuenem optimum morti dederũt. Sepulturæ locum apud Louanienſes fratres adeptus eſt anno Domini ſupra ſeſquimilteſimum ſeptuageſimo nono, Aprilis vero die ſexto. Agebat hoc profectò diabolus pluſquam Vatiniano odio noſtræ ſaluti,

inſidians vt quem videbat inferna-
libus ſuis machinationibus tandem
aliquando ſe poſſe opponere, quod
ſpes in iuuene ſumma appareret &
futuræ non obſcura eſſent magnæ
cuiuſdam ſanctitatis inditia. Hunc
itaque ne ſimul cum ætate incremẽ-
tũ & in præclaris moribus ſumeret,
hac ſua ſatellitum turba ſibi putauit
oppugnãdum, & morti dandum eũ
qui vita longiſſima eratdigniſſimus.

Qua ratione mortuus repertus ſit inter Louanium & Thenas Frater Ioannes Puteanus.

SVperiori adiungemus Fratrem Ioannem Puteanum à Thenis qui quidem Louanium relinquens, dum Thenas, conuentumque (vt vocant) ſuum meditatur, in via vitam cum morte commutaſſe repertus eſt. Dicitur vero ſtrangulatus fuiſſe à furentibus his prædonibus, ſimiliter apud Lo-

uanienſes ſepulturæ locum nactus, menſis Auguſti die tertiò Anno 1579. Nec dubitandum quin ea Brabantiæ pars vt & tota ipſa vbique vim Geuſicam ſuſtinuerit dum funeſtis cædib⁹ impij prædones replét omnia dum nihil ſinunt intactum vt ſacerdotes viroſque alios integerrimos internecioni dent, ita vt ſingularis quædam in Deum pietas aut eruditio, conſiliúmque quibus ſępe ſua ſtudia ſubuerti ſentiunt: abundè ſufficiens cauſa ſit cur in quibus hæc ſunt, eos trucident, ſceleſtiſſimis quibúſque tantum ſibi adiunctis.

De Martyrio duorum Hybernorum Patrum.

ODio tam contumaci laborat in genus humanũ coniuratus noſter hoſtis diabolus, vt nullus ſit locus adeo reconditus in quem non ſeſe aſtucia illa incredibili qua præditus eſt inſinuet, eumque, ſi poſſit,

expugnet. An non hoc clariſsimum fuit iam inde à condito mũdo, dum ſanctum paradiſi locum ingreſſus, quos rectos Deus creauerat, hos in ruinam dedit præcipites! ruinam dico ita grauem vt etiam mors ipſa ſit conſecuta, dum peccati inuolucris implexum vtrunque parentem in ſuam redegit poteſtatem, barbaram planè & extremo exitio ſuppliciiſque æternis ſuos complectentem. Atqui quo artificio hoc ipſum egiſſe dicemus? Non alio certè quam inuidia illa, quæ dum dolo & aſtutiæ eius incomparabili coniungitur, ſanctiſsimorum alioquin mentes grauiter perſtringit & detorquet, vt aut in præcipitium conijciat aut ita concutit vt à peccato non procul abſint. Callidior (inquit ſcriptura
Geneſis 3. Geneſis tertio) cunctis animantibus erat ſerpens, callidior cunctis quæ fecerat Dominus. Voluit nobis ſcri-

tura patefacere incredibilem crude-
liſſimi iſtius tyranni nequitiem &
verſutiam qua vtitur dum hominũ
libertati inſidiatur. Quamplurima
animantia reperire eſt quæ callidi-
tate ſua ipſos etiã homines vel ma-
xime verſipelles videntur ſuperare:
prudentia etiam ea in quibuſdã re-
peritur vt ſapiens non dubitarit nos *Prouerb.6.*
ad formicas remittere vt ſapientiã
addiſcamus. Et profectò tam ſumus
degeneres vt præclarare illam earũ
agendi rationem non cõſequamur.
Reponunt illę ęſtate quo hieme veſ
cantur, nos verò adeò tantum præ-
ſentia conſideramus, ita in ea ſolum
quæ ante nos ſunt oculos defixos
habemus vt futurarum minimam
rationem ruinarum noſtrarum ha-
beamus: quod ſi non eſſet virtu-
ti incumbentes caueremus certè
nequid vitij inimici ſatanæ acceden
te opera, vita noſtra contraheret,

efficeremus ne is tam glorioſum triumphum de nobis reportaret. quid quod hæc formicarum ſagacitas ipſos etiam Ethnicos non latuerit, Vergilio laude plenum de iis præbente teſtimonium, cum in quarto Æneidos ſic habet.

Ac veluti ingentem formica farcis aceruum.
Conglomerant, hiemis memores, tectóque reponunt.
It nigrum cappis agmen, prædámque per herbas
Conuectant calle auguſto, pars grandia trudunt
Obnixè frumenta humeris: pars agmina cogunt
Caſtigántque moras: op:re omnis ſæuit a feruet.

VErum hoc de prudentia quã in exiguo maximè animali compe-rimus: videamus amplius quorundã animalium ſubtilem agendi rationem in iis quæ aut ad vitæ vſum aut ad fœtuum conſeruationem aut ad vindictam ſumendam pertinent. Vulpes ſiquidem aſtutiæ vſitatum exemplum quas non technas inuenit vt ſibi vitæ ſubſidium compa-

ret, quos non reperit dolos, quã non diligentia vtitur vt id cõſequatur quô ea quæ ad victum pertinẽt, cònſequatur. Cuculus, infamis nominis animal, qua non induſtria vtitur vt quo præ naturæ frigiditate pullos non poteſt excludere aliarũ nulla habeat opera excluſos. Pellicanus ſuos vt nutriat, an non id agit effuſis etiam corporis interioribus. Bufo vero quantumuis tardum animal, militis tamẽ cuiuſdam petulẽtia læſus: adeo irritata bile fuiſſe legimus vt donec eum fuiſſet conſecutus & dormientem opprimeret non ceſſarit. Iter autem quod hanc in rem impendit, trium fuiſſe miliarium habent ij qui hanc rem literis conſignarunt. Quid dicam de animali longè homini fideliſſimo, nimirum cane, qui quidem vt omnia beneuoli animi inditia mõſtrat ijs quos ſibi videtur habere fauẽtes

ita maximo quodam furore in eos inſurgit à quibus ſe læſum aut etiã herum harbitratur. Manifeſtum id eſt præclariſſimo exẽplo quod multorum hiſtoriis conſtat eſſe veriſſimum.Contigit Pyrrhi temporibus fuiſſe quẽdam ab eiuſdem milite aliquo iugulatum.Fidum hic occiſus habebat præſentem canem qui tantopere hac rei indignitate fuit commotus vt à corpore non ſibi ſecedẽdum putaret quin funeſtũ heri caſum lachrymabili eiulatu per triduum proſequeretur tanquam debitas ipſi ſtatuens exequias.Pyrrhus vero animalis ea fidelitate motus, in delitiis id habere cœpit vt quacunque euntem comitaretur. Euenit itaque non ita multò poſt vt delectum militum faccret Pyrrhus, vbi ad fuit ſimul & canis. Quid factum eſt? Militari ordine procedentes omnes contuetur beſtia

& vt is vnâ cum ſocio facinoris cõſcio & adiutore tranſit homicida miles, valido totius corporis impulſu in eum ruit, modò regem, modo aſſiſtentes contritus tanquam iniuriæ impatientia vindictam ſumi à nefario heri occiſere cuperet. Nec defuit votis eius Pyrrhus quin hos in vinculis habitos, quæſtionibus ſubiectos extremo ſupplicio addiceret huic etiam digna notatione additur & alia hiſtoria de cane dato Petenti Iudiam Alexandro Rex Albaniæ dono obtulerat inuſitatę magnitudinis vnum, cuius ſpecie delectatus iuſſit ad vrſos, mox apios ac proinde Damas exponi emittique: ſed contemptis his omnibus, nihil ſe turbauit, hanc magnanimitatem generoſitatemque animi ſegnitiem atque inertiam intellexit Alexãder, qua etiam grauiter offenſus, canem interfici iuſſit. Nuntiatum hoc fama

regi, itaque alium perſimilem mittens, in iuſsit mādata, ne in peruis animalibus Alexāder eum probaret, ſed in Leonibus, Elephantiſque, duos habuiſſe hoc interempto, ſubinde nullum fore. Non defuit Alexandro eius vires: narues, & generoſos ſpiritus experiri, prius enim Leonem in certamē protulit, quem protinus fractum vidit. Poſtea elephantum adduci pręcipit, haud vnquam alio magis ſpectaculo gauiſus. Nam horrētibus per totum corpus villis, inaudito primum Latratu inſonans Claſſicum dedit, deinde cum belua congreſſus ſic artificioſi dimicatione modo aſſultans iam eludens fatigauit, vt aſſidua rotarum vartigine afflicta procubuerit: ad caſum eius tellure concuſſa, & ſpectante multitudine, rei miraculo attonita. Mirabilis vero aſtutia qua alimal iſtud paruū & ratione expers

vtitur ſe ſuámque pauperculam pellem vitáque defendendo, inimicos & hoſtes ſuperando, quantam quęſo deberemus & nos aduerſus hoſtē incruentem Dei benedicti eiuſque honorem adhibere diligentiam, debellare & ſuperare, ne nos in tentationem induceret. Similiter. Muſtela exiguum animal cum baſiliſco, veneni ſubtilitate quicquid alicubi terrarum eſt venenatarum beſtiarũ ſuperante conflictura : an non ſtupenda vtitur quadam ſagacitate à qua vel homines ipſi ſedulò inſtruantur ſi contra veneni vim petant antidotum? Rutæ enim priuſquam in pugnam deſcendat eſu ſe munit & indubitatæ victoriæ ſpe, ad baſiliſcum ingreditur, quem fruſtra infectos ex oculis radios emixtentem & magna vi quicquid habet immũditiarum efflantem inuadit debellat & interficit. Baſiliſcus etiam ipſe

venenorum omnium ſentina, comitatem iuidia geſtans aſtutiam? an non philomenam ſuauiſſimo ſuo cãtu omnium aures demulcentem, ſibilis ſuis peſtifera beſtia perdit & occidit? Verum manifeſtiora ea ſunt quàm vt illis diuti⁹ inhærendũ eſſe exiſtimẽ. Reuertamur eô vnde ſenſim defluxit oratio & ſerpentis calliditatem intueamur, qui qua de cauſa cæteris animantibus callidior eſſe dicatur, hiſtorias legenti obſcurum eſſe non poteſt. Bernardus verò ſerpentis huius cedulus inſectator hunc in modum de eo loquitur ſermone quinto de triplici modo orationis. Hic eſt, inquit, qui iugiter machinatur malum, qui deſideria carnis inſtigat, qui concupiſcentiæ ignem naturalem quodammodo venenatis ſuggeſtionibus ſufflat, illicitos motus inflammat, peccati occaſiones parat, & mille nocẽ-

Bernardus ſermone 5. de triplici modo orationis.

di artibus corda hominum tentare non ceſſat: vt omittam quamplurima quæ cum ibi tum aliis etiã locis idem, vt & alij Patres, habet author, Nec enim longè latéque euoluenda ſunt vt atrociſſimi hoſtis cognitionem aſſequamur, plurima volumina. Statim ſiquidem in ipſo ſcripturæ ingreſſu luculentum hac de re teſtimonium, quod prius citaui habemus. Serpẽs verò hic quod quicquid eſt dôli, quidquid immũditiæ quicquid peſtiferi ęſtus, quicquid deniqueveneni reperitur in aliis homini inimicis beſtiis, in te ipſo cumulatiſſimè habet vniuerſa omniũ etiã eorũ nomẽclatura inſiquitur. Super aſpidẽ & baſiliſcũ ambulabis, inquit pſaltes regi9, & cõculcabis leonẽ & draconẽ. Sed quib9 rationib9 his nominibus appelletur audiam9. Bernard9 in pręſẽtis verſiculi pſalmũ ſcribẽs ſermone 13 hãc rẽ fuſius explicat dũ

Pſal. 90.

Bernardus in pſal. 90 ſermone 13

ait. Quis verò ſcire poteſt, an diuiſæ ſint inter eos operationes malitiæ, miniſteria iniquitatis: vt ex diuerſis officiis: quin potius maleficiis, vocabula quoque diuerſa nominentur? Alius ſiquidem aſpis, alius verò baſiliſcus, alius autem leo & alius quidem draco, quod videlicet ſuo quodam inuiſibili modo variè quoque noceant, quaſi ali⁹ morſu, alius quoque viſu, alius autem rugitu vel ictu, alius quidem flatu. Nō poterat profectò commodior fieri ſimilitudo quam dum nequitia diabolica cum venenatarum maximè beſtiarum efferata nocendi cupiditate & vi confertur. Nec enim tales hæ beſtiæ ſunt vt earum poteſtas inter arctos quoſdam limites ſemper contineatur ſed regiones etiam integras peruolet. Clariſſimū ea de re exemplum habemus apud veteres vſitatum. Nā Socrates dra-

conem corrumpentem ciuitatem, & regionem ſuo anhelitu & influẽtia peſtilenti, deprehẽdit intra mõtium latibula reſidere. Sic Alexãder magnus, quondam, ocultarum artium cognitione imbutus eas tradẽte præceptore Ariſtotele, venenum baſiliſci erecti ſupra murum ciuitatis contra exercitum, deduxit in ipſam ciuitatem, malitia nimirum peſtiferi animantis in ſuum commodum, hoſtium verò perniciem conuerſa. Penetrat ergo venenatus vbique anhelitus: nec vllũ eſt tam purũ habitaculum quin id inuadat. Non pepercit Adæ non Euæ in paradiſo alioquin conſtitutis. Quid quod circa res planè diuinas ſtrophas ſuas vſurpet? Nunquid ſancta erat Abelis & Cain ſacrificiorum domus & tamen ex ſacrificiis capta occaſione fratrem in fratrem armauit dũ Cain Abelem interficit? Vt ergo viſu ba-

ſiliſcus, ſic lenocimis quibuſdam à mundo & carne petitis nos circunuenire nititur aduerſarius noſter: qui vt validiore exercitu omnes aggrederetur, aciem ſuam explicitis alis munit quas mundo & carne ductoribus in nos educat, adeò arroganti ingenio vt cedere aliquando ſummam arbitretur ignominiam, ſi repellatur fortiter, concertat tamē adhuc eminus & ſenſim accedens irrumpit donec vel planè euadat ſuperior vel turpiter vincatur. Atqui cum cunctis in vniuerſum bellū indixerit, quo eſt faſtu, in eos maximè omnes ſuos arietes, machinaſque ſuas vniuerſas dirigit qui nominis ſplendore aut virtutum gloria reliquis antecellunt. Victoriam ſiquidem à magno aliquo retuliſſe, id demum glorioſum eſt, cum leuioribꝰ iſtis victoriis nec quidem triumphꝰ vllus ſtatuatur. Apertè videmus hoc

in Anglia vt eos impeteret qui aut auita nobilitate, aut rerum omniũ affluentia aut denique virtute & eruditione aut etiam eos qui omnibus his eſſent præſtantes. Quantus quæſo vir fuit Henricus Anglorum Rex huius nominis octauus & tamen peſtiferi nebulonis Lutheri anhelitu extinctus. Si enim generis nobilitatem ſpectes, quid in eo qui Anglicæ nobilitatis apicem erat cóſecutus, deſiderari potuit? ſi diuitias cogitatione conplectaris? ſufficiebãt illi ea obundè quæ habebat, aliis etiam futura commodo, ſibi vero, dum magna liberalitate eadem impertitur, ornamento. Virtutem quis in eo ſummam eſſe negauerit, qui præclariſſimum virtuti ſuæ debitum titulum ſit conſecutus, dum à Pontifice ſummo, annuente Purpuratorum Patrum curia, defenſoris Eccleſiæ Catholicæ nomen ſor-

litur.In luce poſitus eius contra Lutherum liber an non manifeſtus teſtis eſt eruditionis eiuſdem non in vna aliqua ſcientia, verum in cumpluribus! ac inprimis quam recondita eſt ea quam habuit in Theologia rebuſque diuinis cognitio, quã ſolidè ratiocinatur,eloquentia verò an non ea eſt quæ cum doctiſſimorum virorum elaboratiſſimi lucubrationibus poſſit conferri? atqui hæc omnia reſiderunt in eius pectore qui in Angliæ regno rerum potiebatur. Animaduertit hæc diabol⁹ & præſtantiſſimi viri laudem, ſuam ignominiam arbitratus,cunctis machinamẽtis eum adoritur, facitque hoc tanto ſtudio tantáque induſtria adeò importuna ſedulitate vt nõ ceſſauerit quin fortiſſimum alioquin eius animum expugnauit, præſidio in eum inducto terna vitiorum omnium.In quæ enim præceps vitia nõ

ruit dum ſub poteſtate atrociſſimi hoſtis vinctus detinetur! ſuperbia quadam incredibili Anglicanæ ſe caput Eccleſiæ declarari deſiderat, crudelitate inaudita non parentes imperio, trucidat: auaritiæ ita addictus etiam vt qui prius liberalitatis nomine apud omnés quamoptimè audiebat, modo habendi maxima cupiditate æſtuare diceretur, Pridē eleemoſynis infinitis pauperes, donis quamplurimis doctos ſibi admodum faciebat obnoxios : tunc quas apud eos qui paupertatis votū fecerant reperiſſet diuitias fiſco ſuo putauit addicendas, doctis etiam in exilium coniectis aut ſuppliciis grauiſſimis aut iniuſta mortemulctatis. Veneri verò ita erat addictus vt omnes honneſtatis cancellos exceſſerit. Quid quod iræ inuidiæ que nullum fecerit finem omni veræ religionis cultu abolito, qui prius eidem ſole-

rem ipſam conſecutam, fuiſſe vt illud quod Poëta doctiſſimus Mariæ Illuſtriſſimæ Scotorum Reginæ attribuit, Anglorum modernæ moderatrici optimo iure poſſit accommodari: ſic enim ait, Quæ ſortem anteuenis meritis, virtutibus annos: Sexum animis, morum nobilitate genus. Cuius quidem Reginæ Elizabetæ ſi ſingula ſcribendo velimus conſequi, tempus nos profectò deficiat: tamen pauca de multis erunt delibanda vt luce meridiana clarius euadat quam importunâ ſit arrogantiâ diabolus qui ad validiſſimas ferè arces ſuos dirigit exercitus, fortiſſimarumque virorum conſtantiſſimos animos aciebus ſuis expugnare conatur, ſi quæ etiam ſit illuſtris fœmina tanto magis in eius oppugnatione laborans, quô minus honeſtum eſſet ſi cederet

& de imbecilli ſexu triumphũ agere nequiret. Quid itaque dicã de præclaris eius ſtẽmatibus quæ ipſa Regina ex Regio ſanguine prognata eſt? diuitias quid commemorem eius quæ multarum regionum hæres eſt & Domina? Extrema hæc ſunt quapropter à ſapiente Regina pluris ea quæ animum ſpectant fieri nemo eſt qui mirari debeat. Quantum itaque ad eruditionem attinet, Deus bone, quanta linguarum omnium cognitio? Latinam callet, callet & Græcam, Gallicam, Italicam, Hiſpanicam & Alemanicam vt propriam & vernaculam taceam. Quis quæſo virorum doctorum hac laude, quod tot vnus norit linguas, iactare ſe poteſt? quod ſi fuerit in quoquam tanta earundam cognitio, an non ſtatim polyglotti nomine apud omnes euadet illuſtris an non omnium ſtylo celebrabitur? an non poëma-

tis,imaginibus, doctáque vitæ diſcriptione docti cumprimis ipſum proſequentur? Cur ergo non ſit hocipſum Reginæ quod indubiè fieret aliis? Atqui ne fruſtra tot linguas nouiſſe videatur, poſteritati ali quot opera conſecrauit quæ luculenti teſtes eſſe poterunt fœminam & linguarum cognitione & præclariſſimum ſcientiarum artiumque peritia non dicam cæteris præſtitiſſe fœminis ſed multis etiam viris viam demonſtraſſe qua ingredi poſſent vt ad ſimilem ex eruditione ſumma reportãtem laudem pertingerent.

Libri quorum mentionem fecimus hic ſunt: è græco ſermone tranſtulit in Latinum Iſocratis orationem ad Nicoclem περὶ τῆς βασιλείας de regno, qui profectò liber in voluminis conſurgit magnitudinem dum non ſolum acu-

tas illas præceptiones perſequitur verumetiam ſingula diligenter excutit &examimat:emiſit in lucem & aliud quoddam opus continens interpretationem alterius cuiuſdam orationis authoris eiuſdem. E Gallico etiam tranſtulit in Anglicum librum alterum quem nō neceſſe eſt hic commemorare. In lingua verò Latina, dum ea vtitur adeò ad Ciceroniani illius ſtyti magnificentiam & faſtigium conſurgit vt ſit parem propemodum vix habeat. Atque ſi ſingulas artes liberales velimus perſequi: an non nuſices etiam fuit peritiſſima? non ſolum illius quæ ob vſum cantus difficultatem non paruam in ſeſe complectitur, verùm etiam illius quam ſpeculatiuā poſſums nuncupare, quæ ſedulò indagat, quibus rationibus accidat vt certi quidam ſonis alijs ad amuſſim correſpondeant, diſcrepent alij. Re-

ferũt hæc quidam ad cœlorum motus, magna quadam harmonia reuolutiones ſuas facientium, harum tantum etiam abeſt vt fuerit ignara vt quammaximè eorum omnium cognitione fuerit imbuta. Nó omittendum hic indico quod in inſtrumentorum muſicorum pulſu ita ſit illuſtris vt cum ſcriptura pulſandi inſtrumenta artem cognouit ita tamen in vno aliquo ſit verſata quaſi circa vnius illius ſtudium ſemper fuerit occupatiſſima. In tabulis vero Aſtronomicis quis dubitat quin Elizabeta Hiſpaniarum olim regina multum excelluerit? verum qui eam cum hac cóparabit, tota, quod aiunt, aberrabit via, cum in ea nihil fuerit quin in hac cumulatiſſimè reperiatur. Quantum ad reliqua attinet quæ politicam benè viuendi rationem concernunt quid in ea de-

ſiderabimus amplius? Nec enim ſuperbiæ illi nota inuri poteſt quæ blanda, maieſtatem tamen decerte familiaritate, omnes facilè pellicit in amorem ſui. Tantùm verò abeſt vt externis rebus plus æquo ſtudeat vt cum ipſa rerum omnium vbertate affluat, alijs etiam pauperioribus non parum opituletur. Quid de reliquis eius virtutibus dicam? Virtutibus inquam politicis, cum eas quas ij qui vera fide imbuti ſunt habent, ipſa extra Eccleſiam cõſtituta habere nequaquam poſsit. Sic enim perpetuo intelligi volumus, cum Reginæ virtutes aliquas attribuimus: ne quid ſecus quam Catholica Romana religio admittit, ſtatuiſſe videamur. Manifeſtiores interim eæ ſunt, quam quas ego tenui meo ſtylo aut declarare auſim aut alij de iiſdem abundè inſtructi maiore egeant hiſce de rebus cogni-

ione. Quapropter cum tantarum erum tamque excellentium vera ſit ıæres, quid quæſo eſt quod in ea deſiderari poſſit? Quid omnia profectò: vnicnm enim ipſi deeſt, quod qui non habet, nihil habet, etſi omnia alia habet. Quid quæſo id eſt? ideseſt, fides dico ea eſt: nam quamtumuis cumulatiſsimè reliqua omnia habeat tamen miſera & miſerrima eſt quæ quantumcúnque alias humilitatis nomine ſit commẽdanda, hic tamen arrogantiæ nomine non parum videtur reprehenſionis meritò incurrere, cum hoc ſibi vſurpat fœmina quod viro patri non fuit permiſſum. Voluit is Anglicanæ Eccleſiæ haberi caput. Probiſſimus quiſque non dibitauit cum vitæ etiam diſcrimine pernitioſæ petitioni ſeſe opponere: hæc vero, prô dolor, nullo penitus conſulto, iam gloriam ſi modò calamitas hæc glo-

ria appellanda ſit,non verò ignomi
nia maxima, tũ ſibi vendicat. Quæ
quidem res vſque adeo optimi cu-
iuſque viri animum exacerbatũ red-
dit vt quicquid ex antea dictarum
virtutum commemoratione laudis
oriri potuit,hoc penitus iſta perni-
tioſæ crudelitatis labe concidat &
floccipendatur. Quia qui in gremio
matris Eccleſiæ non eſt, pereat illa
de populo Dei neceſſe eſto: nec ha-
bebit Deum Patrem qui Eccleſiam
noluerit habere matrem. Pernitio-
ſa certè hæc eſt credulitas qua tá fa-
cilè fides jis accommodatur iis qui
non rei veritatem ſed ſuorum af-
fectuum ductum cæcum perpetuò
ſequuntur, hoc demum in fidei ne-
gotio ſtatuentes quod voluptatibus
ſuis ſit accommodum. Ipſi enim fi-
dei regulas ſuas metiuntur volũtate,
non autem voluntatem ſacræ ſcrip-
turæ regulis volunt conformare.

quod quidem vitium cum hæreticis omnibus ſit commune, dolendum profectò eſt incidiſſe idipſum in Reginam longè florentiſſimam quæ vt in hæreſin incideret penitus non egebat. Sæpius turpis libido in ſectariorum gregem hominem cõiicit, non raro id facit paupertas, vindictæ ſtudium etiam ſubinde eò poteſt hominem cogere quid quæſo Reginæ opulentiſsimæ harum rerum obtigiſſe potuit cum extra inuidiam conſtituta ad vindictæ cogitationem animum non deberet addicere, libidinis ratio non erat, multò minus paupertatis. Solus itaque fuit humani generis hoſtis diabolus qui rei iſtius dedit principiũ, progreſſum idem atque funeſtiſsimum finem. Nempe hoc ipſum eſt quod iam prius inculcauimus inimicum noſtrũ ſatanã eos propemodũ ſemper impetere qui in altiſsmo

dignitatis gradu ſunt conſtituti pari profectò ratione qua fulgura ſummos montium vertices, altiſſima palatiorum cacumina, templorum à terra maximè eleuatas turres petunt validiſſimi etiam venti vt ſpirent robuſtis iam & temporis progreſſu induratis arboribus magis metuẽdum venit quàm magis tenuibus quod nimirum pertinaci robuſtarum reſiſtentia magis irritati, ſæuitiam ſuã in eas exacuant, gracilioribus verò vt nõ ita reſiſtẽtib⁹ ſed vt ſunt leui flexu, nunc in hanc nunc in illam partem vi in illã, vt poſſunt effugiunt, parcit vt grandæuas in partes non diſrumpit. Dicit Horatius non cuiuis homini contingit adire Corinthum quod ſanè quidam ad Pharõ referunt quæ in portu Corinthiaco erat celeberrima. Lumen ibi erat in altiſſima ea turri quod viam in lato mari conſtitutis ad portum Corin-

thiacum appulere volentibus commonſtraret, vt lumine viſo eo dirigerent iter:tale aliquid eſt de ijs qui ſupra alios euecti cum ſint, dignitatis ſplendore aliorum in ſe oculos coniectos habent, tantóque magis ſatanæ quo is & inuidia eſt acerbiore & maiore arrogantia quódque crudelitate æſtuet incomparabili, vt nulli mirum videri debeat ſi hanc aggredi Reginã & technarum ſuarum catenis voluerit intricare, quã ſciebat regno ſuo ciuitati Dei infectiſſimo poſſe aliquando reſiſtere. Sed qua ratione hoc tandem perfecit, an nullos ſuorum ad hanc rem miniſtrorum adhibuit? Ita ſanè. *Iſaia 56.* Quos quæſo? Canes mutos non valentes latrare: qui quidem Cerbero peiores, non ſolùm non latrauerunt verumetiam domum Dei furibus & latronibus prodiderunt. Obſcuti nimirum fuerit plus ſatis & ni-

mium cuiuſque libidini, dicentes bonum malum & malum bonum.
Iſaiæ 5. Vitia & in fide errores dum nō corripiunt, eadem etiam toti populo laudare non verentur: atqui eò deuentum eſſe videtur vt inſipiētes dicant, in cordibus ſuis non eſt Deus.
Pſal. 13. Sunt hi Epiſcopi quidam alij etiam Eccleſiaſtici qui vel cum capitis periculo deberent viam veritatis ignorantem Reginam docere: aut ſcientem profectò a pertinaci errore grauiſsimi Dei iudicij propoſito metu retrahere. Verum dum ipſi ſuis vacent voluptatibus, affectuūque ſuorū ſequantur placita, nō mouet eos tantarū rerum cogitatio & impendentis ruinæ timor nulla ex parte illorum animos perſtringit. De quibus optimè illud vſurpare poſſe videm⁹ quod eſt apud Pſalmitā quod eorū manus ſanguine plenæ ſint, & dextera ipſorū dextera ſit iniquita-

tis.Sanguine plenas eorũ eſſe manus Pſal. 143.
quis dubitare poteſt,cum viderit tã-
tam Catholicorũ ſtragem eorũ ſilẽ-
tio perpetrari,tot animas in inferni
barathrũ indies præcipites dari, de-
nique tot factiones, tot ſeditiones,
vtique,ipſorum deſideria & diabo-
lica induſtria,concitari? Dentes eo-
rum arma & ſagittæ & lingua eorũ Pſal. 56.
gladius acut⁹. Mordax profectò ho-
minum genus quod dum mordicus
tenet Lutheri Caluiníque placitũ,
omnibus mordaci rictu terrorẽ in-
cutit, mordet omnes nec aliquo de
bene aut ſentit aut loquitur niſi ſi-
milib⁹ inſtrumentis armato,ſagittis
videlicet armis & gladio, gladio di-
co qui populi animas ptrãſiuit. O rẽ
nefariã,ô portẽtũ,ô ſcelus in vltimas
terras deportãdũ. Vos quorũ intere-
rat proſpicere ne quid dãni caperet
Reſpublica Cathol. quæ eſt fides Ro
mana,ad quos pertinebat curare ſar

tum tectum eſſe Dei cultum, quibus commiſſum erat verum atque adeò purum putum Dei Euangelium, impio facinore Eccleſiam Catholicam prodidiſtis, Regnum totum in extremã pernitiem conieciſtis, populíque vniuerſi ſaluti inſidiamini. Si

Mathæi 15. cæcus cæco ducatum præſtat, ambo in foueam quod cadant mirum nemini videri poteſt. Sed ſi vidẽs cœco ducatum præſtat, an non omnes excedit rationis limites eum qui vidẽt in foueam cœcum præcipitem dare aut caſus eius cauſam eſſe? Eſt certè hæc veſtra culpa, peccatum peccaſtis maximum & grauiſſimi delicti iamdudum rei eſtis. Melius profectò ageretur in hac rerum inuerſa ſcena ſi aut vos luce mundi huius nunquã fuiſſetis gauiſi aut proditionem hãc Eccleſiæ machinati nunquam fuiſſetis. Sed fruſtra inſtituitur hæc deploratio vbi cum deploratæ ſalutis

ominibus agitur, deploratæ & deſ-
eratæ ſalutis dico. Diabolus ſiqui-
em volens vos eſſe virulenta ſua
rgana per quæ animis hominum
irus ſuum afflaret vos ijs vinculis
ſtrinxit quibus innodati tantum
beſt vt vos ipſos poſſitis ab ijſdem
xpedire vt etiam opera ſtudióque
eſtro ad aliorum animas in ſuam
aſſam pertrahendas vtatur. Hic te
ōpellabo Sereniſſima Regina quæ
orentiſſimum regnum prudentiſ
imè moderaris, quæ tot bonorum
um animi tum corporis & fortunæ
præſtantia es illuſtris: reſpice tādem
liquādo quid in hoc calamiticiſſi-
no rerum ſtatu, rationem ipſam ſe-
uta faciendum eſſe putes. Non hic
ōcilium illud tuum priuatum cul-
pabo, nō viros pleróſque quos apud
e habes integerrimos, verùm eos
quibus ludus eſt omnia in Regno
uo ſubuertere, ſumma imis miſcere

ruinā totius patriæ machinari, nihil denique relinquere intactū quo ipſorū auaritiæ inexhauſtæ & fœdæ libidini fiat ſatis. Epiſcopos incuſo, Eccleſiaſticos nefarij ſceleris inſimulo, eos patriæ proditores appello, quod omnib⁹ turpiter illudētes propriis tantum cōmodis ſtudeant. Res manifeſtior eſt quàm vt vlteriore declaratione egeat. Eſt aduerſarius noſter, homo ī pernitiē vniuerſi populi incūbens, Epiſcop⁹, qui hæreticis familiari admodum agēdi ratione, in mēſis plerúnque de cōtrouerſis materiis diſcent, nēpe dū pinguis aqualicul⁹ propēſo ſeſquipede extat, dū cerebrū ipſū & cor ſedes rationis vini cōtinua humectatione turbata ſunt. Ibi agitur non ſine ebrietatis nota de ijs quæ alibi non niſi à ſobriis ſobriè inuocato prius ſancti ſpirit⁹ adiutorio ſolent tractari. Apud Ethnicem reprehendebatur, vt eſt videre

apud Horatiũ, qui pleno ventre laudabat ieiunia: quid de his dicemus quos non immeritò telluris inutile pondus appellabimus qui quãtũuis vino cibíque diſtẽti ſint, eduliorum omnium copia affluentes, nihilominus non ieiunia ſed ipſam commẽdãt ingluuiem. Eſt hæc mihi credite res intolerabilis vt cũ vel natura ipſa interuallis quibuſdam delectetur & rerum viciſſitudine gaudeat: hi tamẽ præclari rerũ adminiſtratores perpetuis epulis nauent operã, quid quod ſimili exẽplo dũ venter ęſtuans vino facilè deſpuant in libidinẽ, ij ipſi cũ libidinis ductu, rei turpiſſimę cogitatio ſe ingeſſerit, non ſecus de illa loquũtur quàm ſi aut proſtibulorũ eſſent mancipia aut ludicrũ quid eſſet rẽ turpẽ omniũ auribus importunè ingerere. Ex hac adeò bene inſtituta ſchola proficiſcitur axioma illud pręſtantiſſimũ, ſcilicet neminem poſſę

caſtè viuere. O nebulones furciferi. quid?an nó videtis vẽtris vos eſſe mácipia quiſterquilinio infidẽtes in ſupernarũ rerum cogitationé non cóſurgatis. Epiſcopi eſtis,pſeudoepiſcopi tamen, non enim verè Epiſcopi, qui tantum in terram aſpicientes, quæ procul fiunt non conſideratis. Ventri ſiquidem gulæque ſolùm addicti non ſitis,non incumbit vobis ſubditi gregis cum vt ſalutaris pabuli ſucco paſus æterna gloria tandem fruatur. Reginæ profectò veſtræ fœminæ illuſtriſſimæ an non infamiæ notam intolerabilem inuritis dum Epicureo ſpiritu caſtè viuere impoſſibile eſſe dicitis, ipſa interim cœlibem adhuc vitam ducente,cum tamẽ vltra florẽtiſſimam illam ætatem, quæ non parum, ſi quæ aliam libidinis vitio ſolet eſſe obnoxia, modò ſit prouecta? Amplius hac de re penitus nihil agam

quod intelligenti pauca debeãt ſuppicere, cũ facilè perſpicit vnuſquiſque aut generalem iſtam veſtram maximam fulſam eſſe, aut præſtantiſſimam fœminam grauis delicti ſtatui ream. Propoſitio ergo tua dũ talis ſit, vt eſt vniuerſalis negatiua, per vnum deſtuitur particularem, ſi ideo Regina illa mulier ſereniſſima, annis tot ſine legittima carnis copula, in quam nihil attentare volo, vixiſſet, Profecto vos multũ erraſtis & extra omnẽ ſcholam ſummo cum dedecore, eiiciẽdi, explodendi ſibilãdíque eſtis. Simili alteri vtimini argumẽto, quo mira videmini cõcludere, prædicãdo ſcilicet ſimplici populo ignaro, necnõ ideotis, id nimirũ, quod falſũ eſt, Pontifi ſit immoderatus vitæ, ô blaſphemium importabile ad totius huius machinæ finẽ deportãdũ cum, verũ habetur, quod nullus pontifex caput eccleſię

errare poteſt. Sed ſic conficitis argumentum, Talis vel talis ſit peſſimis moribus ergo, omnes, hoc verò, proch dolor, vnica eſt vobis ſemper inſtruẽdi populum materia, cũ quis non nouit hac in re vos malitioſos eſſe! dum à particulari ad vniuerſale non vt ſcitis valere conſequentiam ſed cæci, & ſurdi, qui non exaudietis vocem incantantium & venefici incantantis ſapienter, pſal-
Pſal. 57. mo quinquageſimo ſeptimo; ſed Deus conteret dẽtes veſtros & molas veſtras confringet Dominus. Et tunc lætabitur iuſtus cũ viderit vindictam & dicet, vtique eſt Deus indicãs in terra. Sed dicito mihi per fidem veſtram, ſi vobis ſit, quæ eſt veſtra aſtutia vt turpi libidini ſedulam nauetis operam Regina alia quin optimam fuſcinatis & in hoc errore detinetis vt credat ſe caput eſſe Eccleſiæ vt hac ratione pro faſtigij

iſtius ſummi laude à vobis pronunciata,vicem ipſa referatis permittés quicquid male affectis veſtris animis fuerit collibitum.Imponis profecto tibi ipſi & in perniciem videris ruere voluntariam, Regina ſummis dotibus ornatiſſima,dum impoſtorum iſtorum peruerſiſſimæ voluntati morem geris. Metuendũ certè tibi eſt ne Angli tui qui Vuiclephiſtarum in pleriſque ſcita libenter ſequuntur inſolenti ſtratagemate omnia communia eſſe non ſolũ dicant paſſim & defendant verum etiam re comprobent:atque anne tum regno non exueris, quod iam poſſides rerum omniũ vbertate maximè affluens? Quid quod diaboli ſuperbiam ſecuti hæretici iugũ omne ſibi putant excutiendum . An nõ funeſtiſſimi exempli in Germania tranſſacti recentem habemus memoriam dum infinita ruſticorum

Ano. 1525. Ruſtici ſeditioſi & ſe ipſos & totam garmaniam maximis implicauere malis. Teſte Nanclero, quam Ioãnes Tritheemius prædixerat ante decenium quod poſtea ſicut dixerat euẽtum eſt.

multitudo nullũ ſibi putat amplius ſuſtinendum eſſe imperium ? quid actum eſt? Cæci quidem ſunt ruſtici ſed tamen inter nobiles contra quos inſurgebant non pauci deſiderati, plurimi pagi exuſti, ciuitates non ſine trepidatione, principum nullus fuit ſine metu. Si verum ſit id quod non dubitari poteſt quin ſit veriſſimum præuenire præſtare quá præueniri: meritas ſanè de atrociſſimis tuis hoſtibus qui tamen ſe amiciſsimos tui dicunt, pœnas ſumere oportebat, atqui hoc conſultiſsimũ meo plurimorúmque aliorum iudicio eſſe arbitror vt infernalibus illis errorum peſsimorum vinculis expedita, ad crucem Domini verè tãdem confugias verámque fidem amplectaris. Hoc tam deſidero ac Deum perpetuis precibus & ardenti oratione pro te obſecro. Nam ſaluti tuę inſidias eos tendere tu quidem non

ita perſpicis, quòd aſſentatores habeas eos ipſos alioſque quamplurimos, qui tibi niſi placentia loquuntur. Et vt erudita es mulier, memiſſe potes iſtius ſapienter admodum de adulatoribus prolatæ ſententiæ, Melius eſſe ceruorum quàm aſſentatorum genus: quòd corui mortuos, aſſentatores autem viros deuorent. Vides quibuſcum coruis tibi ſit negotium, noſtro quam acuto, pectore quam parum candido. Præſtaret indubiè adeſſe tibi aliquos qui veritatem colentes illum tibi Pauli locum ſucclamarent frequenter, vbi ait licitum non debere fœminam in Eccleſia loqui ſed ſi quid habeat, domi conuenire vt nequiat marites. Mulieres, inquit, in Eccleſiis taceāt: non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit, ſi quid autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim

mulieri loqui in Eccleſia. Quæ verò ſe caput dicit eſſe Eccleſiæ, an huic Pauli mandato, putas, ſatisfacit. Penitus non quandoquidem ſi loqui ipſi non ſit permiſſum in Eccleſia: multò minus erit ei licitum hãc ipſam regere & gubernare. Quid quod Chriſtus ipſe ſapientiæ, abſolutum exemplar qui ipſa erat Patris ſapientiæ, matrem ſuam quam habebat longè commendatiſſimam, inſignitam virtutibus omnibus animique donis quæ in homine poſſint reperiri, gratia plenam vtpote ea à ſpiritu ſancto abundè perfuſam non putarit Eccleſiæ præficiendã, ſed Petrum hominem alioquin vilem & abiectum & qui piſcatione quæſtum prius fecerat rectorẽ eius eſſe voluit cum tamen is Chriſtũ ter negarit, matre ſua vitiorum omnibus experte. Accedit huc quod terram hanc relicturus Dominus Ec-

cleſiam hanc vltimo opere, ſupradicto Petro commendarit: vt cum ea ferè memoriæ fixius imprimimus quæ in vltima vitæ hora à parẽtibus verba audimus, eam tanquam ſupremam animi ſuam ſententiam haberemus cum dicit Petro Paſce oues meas, non agnos ſolùm meos inferiorem ſcilicet populum ſed etiam oues qui & pietatis & eruditionis fœcunditate, filios quampluri̇mos in Chriſto generent eoſque paſcant. Declaras profecto parum te memorem vltimæ chriſti capitis noſtri volũtatis cum quod ipſe matri committere noluit tu Sereniſſima Regina hac in parte multum, erras à vera fide, & pietate, in quo omnium etiam omnem aliarum fœminarum ignorãtiam longe ſuperas vnde mulieres aliæ & omnes ex natura ſua ſexus ſe ſciunt eſſe ſubiectionis & non ſexus in Eccleſia dei hierachitæ

dominationis,quia omnino idonię non poſſunt eſſe.Vt aparte docet Apoſtolus nō autoritate ſua ſed Chriſti & iuris diuini vndè quādo dicebat docere non permitto mulieres, ſupple quo ad illa quæ ſunt ſacre ſcripturæ,neque quę ſunct act⁹ Ecclesiæ, quę ſunt regere & illuminare.Vnde hic ſumitur noſtrum argumentum euidentiſſimum diuū Paulum Apoſtolum gentium electiſſimam tubam non loqutum eſſe à ſe ipſo ſed à Chriſto Ieſu. Nam illam (ſi non repugnaſſet iuri diuino)dediſſet maximè matri ſuæ ſactiſſimæ. Et immaculatæ virgini quod nunquam fuit factum. Vnde notenda diligentiſſima ſunt verba Apoſtoli dicētis.Si quis videtur ſpiritualis eſſe,cognoſcat,quæ ſcribovobis,quia domini ſunt mandata.Et per conſequens Chriſtum hoc ſtatuiſſe regēdi ordinē viris & qui ſunt Petri ſuc-

ceſſor ibus Romanis. Pontificib⁹ & non mulieribus. Pernitioſiſſimam itaque hãc ex pectore tuo debe ſententiam & vel extremæ tuæ ętatis ratioñe habe aqua non longè abeſſe potes. In quo ſtatu Deus quemque inuenerit, in illo eum indicabit. Tu vt indicij aſperitatem non metues, ſub vmbra alarum illius recurras de quo magna animi alacritate & gaudio ſummo perfuſus inquit pſaltes Regius. In te Domine ſperaui non confundar in æternum. Confugias obſecro ad Eccleſiam, extra quam, vt extra arcam Noë, non eſt ſalus: hanc illi tui ſpuriſſimi & nefandiſſimi miniſtri ſpoliant omni honore & gloria: nam ſicut ſponſa ornatur monilibus, ita Eccleſia Catholica ritibus, ceremoniis & ſacrificiis. Hi ſunt qui reſiſtunt Apoſtolicæ veritati non ſecus ac Iamnes & Mabres reſtiterunt Moyſi. Quare aiiciẽ *Pſal. 30.*

di ſunt illi è regno tuo & procul exterminandi rebelles iſti ad amuſſim patris ſui Simonis Magi opera ſectantes, ſuperbia quadam elati non ſecus quam ipſe dum ſtatua ei ponitur Romæ cui hoc hærebat inſcriptio ſimoni magno Deo. Ex hoc Simone tanquam & hæreſeon omniũ ſeminario per multas ſucceſſiones, monſtroſi Ophitæ, turpes Gnoſtici impij Valentiniani, fœtidi Cerdoniani, venenoſi Martiniſtæ, Montaniani peſſimi & multi alij cum iſtis noſtri temporis regni tui hæreticis prodierunt. Prædicant ij propter quæſtum & inanem gloriam, mentientes contra Deum, in religioſos vnctos & Deo piis votis obſtriſtos ſcommata iacere non verentur: atque adeô profecit ipſorum impietas vt tãquam Phariſæi & Scribæ olim inſidias tendebant Chriſto, grauiſſimis illum ſuppliciis afficientes

Euſebius Ioan. lib. 2 c. 13. Iuſtinus in apologia ad Antoninum. Ireneus l. 1. aduerſus hæreſes. Clemés lib. 6. diſpoſitio rum.

—

mortique acerbiſſimæ adiudicantes ſic iſti piis omnibus machinantur excidium, quemadmodum anno 79. contigit in Hybernia vbi duo ordinis noſtri Franciſcani diris affecti ſuppliciis mortem cũ vita mutarunt. Horum alter erat epiſcopus vt manifeſtiſſimum euadat quàm parum dignitati deferant ſcęleſtiſsimi dum in eâ fulgentes magis ſæuieut quàm in alios. Horum duorũ ſubtexemus martyrium illatum ab impiis ſatanæ miniſtris, agentibus hoc maleuolis huiuſcemodi miniſtris: quos certè ſi principum authoritate contingeret tolli è medio, nó dubium quin optimè toti Reipublicæ Catholicæ eſſet conſultum cũ ij ſint qui nonmodoplæbem ipſam verumetiam nobiles ipſos, literatos quamplurimos, principes ſummos tenent in errore. Ii ſunt penes quos rerum omnium hodier-

MARTYRIVM AC MORS PATRIS PATRICII HELII EPISCOPI MIAONENSIS AC SOCII DOMINI AC FRATRIS CONNACII Ô RVBRKE ORdinis Fratrum Minorum in Hybernia paſſorum ſub Domino Guilelmo Druri equite ac regni Hyberniæ pro rege.

PATRITIVS Helius ad non ignarus quantũ referret iam inde ab ipſa adoleſcentia optimis diſciplinis eſſe imbutũ, in Hiſpaniam ſe contulit, ſeriam literis operam nauaturus, deligens ad hoc Florentiſſimam Academiam Alcala quæ Cõplutenſis vſitata voce dicitur, atque ibidem eô promouit vt eruditiones gloria & laude ſocios ſuos nõ ſolum æquaret verum etiam longè ijs eſſet ſuperior. Hic

anno ab incarnatione Chriſti 1577 Romam venit copiam ſibi petens fieri vt in Hyberniam cauſa prædicationis fidei liceat proficiſci. Inſtat itaque apud ordinis Generalem qui tunc temporis erat Chriſtophorus à Capite fontium, quo certè viro vix quicquam illud ſæculum habebat præſtantius, Generis enim nobilitate cum eſſet clariſſimus, tanquam hæc ad laudem parum faceret, virtutem ita excoluit, eam in rebus diuinis & humanis perdiſcendis adhibuit induſtriam, vt ſenſim ad ſumma non immerito fuerit euectus: ac quibus gradibus Orator Ethnic⁹ Romulũ in cœlũ conſcendiſſe fingit: ſimilibus ac potiori iure ad ſummas dignitates fuerit euect⁹. Natio Gallica non ita frequenter in ordine B. Franciſci Generalis horore ornata, hoc viuente errare nõ potuit quin haberet qui ſummũ iſtud

dignitatis faſtigium propria virtute & incredibili eruditione rerumque experientia ſeriò exornaret. Cóſcripſit libros non paucos adeo exactè vt de iis quæ tractãt nihil poſſit fingi magis abſolutum, vt eum etiam Sanctiſſimus Papa Grægorius Tertius decimus Archiepiſcopum Cæſarienſem non. Hic itaque optimi viri Patritij, matura deliberatione præmiſſa, negotium vniuerſum ſanctiſſimo Papæ Gregorio cõmendat, à quo requiſitus cum ſingularis prudentiæ, & incredibilis pro fide Catholica zeli manifeſtiſſima daret inditia, Epiſcopus creatur. Poſt aliquot vero dies magnifica admodũ largitione erga eum vſus Pontifex dimittit ſeriò ei gregis ſui curam & ſalutem commendans. Itaque Pariſios venit vbi ſpatio ſeptem vel octo menſium hæſit, agens partim in cóuentu apud ſuos partim in ciuitate:

conſideres, erat hic ſummus, Patres vero omnes non ſecus ac fidei articulos memoria complecti videbatur dum nihil eſt aut in materiis cõtrouerſis aut in jis quæ vitæ documẽta concernunt, aut denique in aliis omnibus quin omnia ingenio fuerit aſſecutus, memorique qua erat vaſtiſſima tanquam ampliſſimas opes reconditumque theſaurum habuerit impreſſa. Et quo magis eluceat hominis virtus, & quantum ab omni factu abeſſet vt melius perſpiciatur, mirũ eſt quod referrã, ad iuniorum qui infimis rudimentis ſtudia ſua dedicarunt paleſtricas exercitationes ſe conferebat. Ibi multus in declarandis jis quãtumuis minutioribus, ſine quibus maxima nequeunt conſiſtere. Quid magis mirer hominis humilitatem an eruditionem? De eruditione ij teſtimonium exhibebunt qui diſcerentem

in Theologicis diſputationibus audiuerunt, de humilitate poterunt & ij qui non ſine ſtupore, viri abſolutè docti ſcientiam non ignorantes, viderunt, vt omnia omnibus fieret, inter infimos verſantem, iudicare. Magnum eſt, ſingularis eruditionis ſpecimen in publico doctorum hominum cœtu edere, ſed maius tamē videtur hominem immenſo captū vaſtáque memoria puerilibus etiā, dum eruditionis fit periculum, cōtentionibus, ſuam operam nauare. Effectum eſt hac re vt doctiſſimo cuiuis fuerit longè gratiſſimus, cum virtus ex ſeſe perpetuò ſit amabilis, & hoc magis quod in eo reperiretur qui vt ſydus aliquod inter mortales lucens in ſuperbiæ cogitationem potuiſſet incidiſſe. Euenit vt noua quædam ex patrio reciperet infauſta penitus & parū grata quæ ſanè hominis animum non ignari

quàm periculoſa ſit res inter hæreticos agere, potuiſſent à concepto in Hyberniam proficiſcendi propoſito deterrere, verùm maluit vir & verus filius obedientiæ ſingularis conſtantiæ gloria illuſtris, Pontificis mandato obtemperare quàm propriæ vitę rationem habere cùm non poſſet ignorare ſe cum capitis periculo iter hoc eſſe ingreſſurum, paratus etiam vt bonum paſtorem decet pro ouibus ſuis animam ponere ſi ita occaſio ſe obtuliſſet. Accingit ſe ergo itineri, nobili quodam ſtudijs operam nauãte comitatus, petítque Britanniam, ventum oportunum expectãs. Is vbi obtigit mari ſe committit, appellítque ad littus quoddam penitus deſertum: vbi cum in terram Hybernicam deſcendiſſet, diuertit ad domum Comitis Deſmoniæ, ſed quòd domo abeſſet, ab vxore receptus eſt benignè & perhuma-

niter. Verùm externæ beneuolentiæ ſuberat dolus vt hoc vitium quamplurimos mulieribus admodum eſt familiare. Quis necis boni Naboth cauſa extitis niſi Iezabel? quis quod Diuo Ioanni caput auferretur cauſam dedit ſi non ſaltatrix puella, fortiſſimum ſampſonem quis in manus Philiſtinorum tradidit excepta Dalila? vnde grauiſſimi Dauidis & filij Salomonis lapſus niſi per mulieres? atque ita hæc quæ blanditiis delinire videbatur optimum Patrẽ, eundem in extremum coniecit exitiũ. Hoc eo dico audentius quod & maritrũ & eã fratrẽque Ioannẽ Deſmoniæ probè nouerim, ſæpius cum iis verſatus anno niminum 1570. & 71. Mulier ergo iſta patrem ſanctum poſt triduum tradidit vnà cum ſocio nimium Connacio ô Ruereke. Poſtridie diſceſſit Limirium verſus, quæ ciuitas eſt Momoniæ primaria

vt inde ad copias Catholicas tranſiret fruſtumque pietatis faceret. Atque ibidem, ſuam nauante operam Comitis Deſmoniæ coniuge, à Prætore, quem maiorem eo loci vocāt, in vincula coniectus eſt. Erat profectò res plena periculi & quæ ſanctũ Epiſcopum tamen latere non poterat, conferre ſe ad ea loca vbi optimis quibúſque internecio parabatur, peſſimi verò quiuis erant longè acceptiſſimi. Sed æſtuantis Patris ardore cæleſti, virtus ſpreuit tormenta omnia, vbi vel minima ſaltem vtilitatis alicuius ſpes apparebat: mittitur hinc ſtatim tanquam læſæ maieſtatis reus ad oppidum Malogenſe quod 14. miliaribus Limicro diſtat, vbi tum temporis Prorex reſidebat atque ibi vnà cum ſocio ſententiam mortis, decreto illius Proregis abſque iunis forma ſubiit, quod ius ab illis gẽtibus ius martium appellatur,

in quo indicta cauſa verbo præſidis ſuccubuit. Dolendum certè ita hodie vbique terrarum corrupta eſſe tribunalia, tam præpoſtero ordine in indiciis procedi vt affectibus potius quam veritati detur locus cum non niſi dicta cauſa ſententiam ferre debeat iudex. Obtulit autem illi Prorex & beneficij ſui ius integrũ & poſſeſſionem, denique honores maximos, modò fidem negaret, & negotium omne proderet: de fide reſpondit ſe nolle illam cũ vitæ poſſeſſione aut honoribus commutare: de negotio verò, cur venerat nimiũ, reſpõdit ſe ideo appuliſſe vt in epiſcopali functiones (quã ſe obire profeſſus eſt palã) cauſam religionis promoueret & ſalutẽ animarum procu raret, nec recuſare ſe mortẽ quæ cũ aliquo pietatis commodo, aut etiã incõmodi vilatione eſſet coniũcta. Vlterius perquiſiuit Prorex vt quid

Pontifex & Rex Catholicus Philip-
pus captaſſent cõſilij pro inuaſione
Hyberniæ, indicaret, quod profe-
cto noluit, quantũuis hæc eius taci-
turnitas grauiſſimarum pôenarum
cauſa fuerit. Nam acceptis tenuiori-
bus, accutiſſimis tamen ferramentis
digitis ea ſuperponentes mallo for-
tiſsimis icibus ita impreſſerũt vt di-
giti in partes ſecarẽtur. Nihil tamẽ
voluit ſignificare, quo factum eſt vt
ſtatim de patibulo ſit cogitatũ. Dũ
itaque ad patibulũ procederet copiá
ſibi litanias legẽdi petiuit, atque vt
abſolutionẽ à ſocio acciperet eandẽ-
que eidẽ impartiretur, quæ duo cũ
obtinuiſſet vtrũque expleuit: horta-
baturque ſociũ naturali inſtãtis mor
tis timore perculſũ; vt intrepid⁹ mor
tẽ ſubiret prãdiũ acerbũ naturę vide
ri, ſed cœnã certò fore iucũdiſsimã ac
ne imbecillis ſocij anim⁹ ampli⁹ flu-
ctuaret pręclaris ſuis exhortationib⁹

effecit.quid quod grauiſſima oratione ad populũ habita, multa dixit de fidei neceſſitate, de ſeruanda conſtã-ſtia, præterea de ſuo inſtituto in quo aſſerendo lubens pro Chriſti nomine fœlicem mortem ſubiit, vnà cũ ſocio. Itaque vterque laqueo vitam fini⁹. Verum per ſummũ ſcęlus morti adiudicantem iudicem egregiè puniuit Deus. Prorex ſiquidem qui mortis ſentẽtiam in Epiſcopũ tulit, morbo ſtatim correptus eſt à quo non potuit vlla ratione liberari, ſed Vuaterfordiæ obiit nullo vulnere læſus, vt quin diuina vindictâ ſuccubuerit dubitari non debeat. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro quarto capite 17. habemus de Vrbicio iudice, qui Prolonæum quendam, quod Chriſtianus eſſet, continuò iuſſit duci ad mortem. Lucius autem Chriſtianus vir, videns tã temerè datã ſentẽtiam, ait ad Vrbicium: Quid quæſo cauſæ eſt, quod neque adulterũ, neque cor

Euſebius lib. 4. Eccleſiaſticæ hiſtoria cap. 17.

uptorem aut homicidam vel latro
em,raptoremque, aut alterius cu-
uſlibet facinoris reum, ſed tantum
ro nomine Chriſtiano quod hic ſe
ocabulo confeſſus eſt nuncupari,
d mortem duci præcipiſti.Idem ta-
nen Lucius morti etiam ab eodem
a dę cauſa fuit adiudicatus. Tãtum
cinus ſemper habitum fuit apud
npios Præſides Chriſtianum eſſe.
ed vindicta diuina frequẽter à gra-
iſſima punitione non patitur eſſe
nmunes,ita vt ipſemet Prorex ma
um Dei agnoſcens, dixerit mortẽ
piſcopi ſuæ mortis fore cauſam.
egimus de Licinio qui cum peſſi-
a in Chriſti anos deſignaſſet faci-
ora,vltione diuina tandem eſt pu- *Euſebius lib.1.de vita Conſtãtini.*
itus. Euſebius de vita Conſtantini
bro primo de eo ſic habet Poſtquã
ic obſidionem Eccleſiæ auſpicatꝰ
nguine virorum bonorum animã
onſpuccauit, ſacra vindicta miſerũ
didem ex ipſo oriunda ad animi

mi ſedes vſque exercuit. Ecce enim repentinus abceſſus mediũ pudendorum locũ occupat:inde vaſtè fiſtuloſum vlcus & ſerpẽs morbi vis inſanabilis:è viſceribus intimis vermiculatio quanta dici nequit ſpirans peſtiferum virus ſcaturiæ.Moles enĩ nimia educatione curioſa, ſucculẽt⁹ adeps in hoc gen⁹ facilè cõmeabat. Itaque putris aditũ intolerabilẽ horribilẽque ſpectaculo faciebat. Illius æquitudo inueterauerat quum ad ſe tandẽ rediit ,ea cogitãs quę olim cęperat inEccleſias,tũ ingenuè delicta confiteri,cõpeſcere contra Chriſtianos iracundiã,tẽpla reficere, &c.Faciebat hæc homo nefarius nõ Chriſtianorum amore ſed pœnarũ odio & acerbitate.Prorex ſimiliter potẽtiæ diuinæ præſentiã agnouit, tamẽ mortẽnon euaſi , nã ſimulatus tantum ſæpe eſt Chriſtianis impertitus huiuſcemodi fauor aut ad tẽpus ad

ɔœnarũ euaſionẽ protractꝰ ,vt ma-
iifeſtũ eſt in eodẽ Licinio, nã ſequi-
ur ꝙ obliuione omnia diſperdide-
at, pœnarũ priorũ non reminiſcẽs.
Non ignes illi ſatis aut ferrũ, nõ pã-
gẽdi claui, non feræ non abyſi ma-
is. Ad hæc caſtigationẽ adferens, o-
ulos effodere cõſtituerat, & poſtea,
quocirca de iſto non eſt in longum
liẽ iudiciũ extractũ. Nã vana dæmo-
ium ſpe inflatus, quos eſſe deos ar-
bitrabatur, copiis infinitis aciẽ ex-
plicauit. Tũ deſertus à numine, pro-
iidẽtiæ per omnia pertingẽtis ocu-
os minimè effugit. Vbi enim ſecurè
vitam traducere confidit vſtus igne
le cœlo iacuit pronus. Illa plaga, di-
iina profectò corpus exeſum eſt,
nulla priſtini vutus ſpecie. Cumque
vires intendiſſet plaga, ſtatim exerti
atque loco pulſi oculi cæcũ hominẽ
lemiſerunt, æquiſsimo ſuffragio dã-
em pœnas à ſe repertas in eos qui

Deo teſtimonium dicebant . Hæc hic addere placuit vt clarum euadat quantus ſit vindex Deus in eos qui ſuorum ſanguinē profundunt Corpora horum Epiſcopi & ſocij cum diu in patibulo catenis ſuſpenſa diu permanerent nullo modo vultu aut colore mutata ſunt, ſed tam apparuerunt recentia ac ſi illa hora occubuiſſent,imo tā ſuauis odor à Cadaueribus prodibat vt ad hāc rē intuēdā populus omnis conflueret, vnde factū eſt vt plurimi partes veſtiū à ſacris corporibus ſcinderent quas ſecum detulerunt adeo vt propemodum núdi penderēt deſciſſis ob pietatem veſtibus quibus induti ſuſpēſi fuerant. Atqui cum oppidum vicinum loco kilmallok canibus ac moloſſis multū infeſtetur, qui in illo ſupplicij loco corpora ſtatim diſcerpant & dilanient, eorū duo corpora adeo ſunt relicta intacta vt nec ab

uibus quidem vnquam fuerint pe-
ita, D'eo hac ratione declarante quã
luo hi ſanctiſſimi viri ſibi fuerint
ccepti. Poſtea Ioannes Deſmoniæ
uius ſuperius mentionem fecimus,
trúmque corpus maximo cum
onore curauit in humari. Quis
uæſo eſt qui hæc intelligens non
dmiretur, homines ſummis crucia
ib⁹, addictos ita in jiſdem perſiſtere
onſtantes vt non in tormentis ſed
n delitiis ſibi videatur degere? quo-
nodo enim poteſt in hominis hu-
ıs mundi ſapientia imbuti rationẽ
adere vt credat in Ieſum Chriſtum
uem viderit inopem, contemptũ,
nendicum quaſi, afflictum, virgis
ıceratum, vulneribus conciſum, in
rucem denique ſublatum? Iudæis
oc quidem magnum ſcandalum
uit, dum in Actis Apoſtolorũ præ-
iperent ne quis in nomine huius
alam prædicarent. Sed qui Chriſti

præcepta hauſerant, melius eſſe exiſtimabant præceptori ſuo Chriſto optemperare quàm hominibus, atque hoc modo beatitudinem propter iuſtitiam perſecutiones tolerãdo, cõſequi. Quid? An non *iuſtum* ſit agnoſcere ſaluatoris nomen? an non iuſtum ſit diligere eũ qui prior dilexit? an non iuſtum doctrinam eiuŝ ſequi qui nobis ad cœleſtia iter patefecit? Hoc quidem omnes fatẽtur ſed eſſe beatos qui pœnis afficiũtur, audactes ſapientes huius ſæculi negant. Hi autem quibus rationib⁹ nitantur, argumentationémque ſuã quàm ſapienter nectant, quæſo, audiamus. Natura, inquiunt, optima humanæ vitæ dux (huiuſcemodi enim tacita meditatione voluunt & in ſimilia crebro verba erumpunt) hoc animis noſtris inſeuit vt libenter delitiis affluamus, ab omni autẽ doloris genere prorſus abſorream⁹:

]uapropter voluptate beatos,dolo-
e verò miſerãdos naturaliter effici.
At vos degeneres naturæ fœtus , jis
iunt qui veram luſcede rebus fouẽt
ententiam, paſſionibus gaudentes,
n cruce dolorũ acerbiſſimorũ pro-
reatrice vitam veſtram beatá ponẽ-
es ſtultiſſimæ rei ſtultiſſimá defen-
ionẽ ſuſcipitis. Hæc quidẽ filij hu-
us ſæculi effitiunt ſed Apoſtolum
gnorant,qui crucem Chriſti genti-
ous ſtultitiam, Iudæis ſcandalũ aſſe-
it, Videbant enim huius farinæ ho-
nines futuros qui Epicurea quadã
mpudentia quęcũque gulæ & tur-
iſſimis voluptatibus non ſeruiunt,
lánarẽt. Verũ placuit Deo per ſtul-
á prędicationẽ crucis Chriſti cõfun
lere mũdi hui⁹ ſapientiá,quę eo pro
ec it vt iá ſũma imis miſceri & virtu
ũ loco vitia coli videamus,tanta re-
ũ oĩm cõfuſio in mũdũ inuecta eſt.
Hĩç tot nos hacten⁹ tormẽtis affligit

Deus, omnis generis flagella immittens non in peccatores modò verũ etiam in eos qui piè volũt viuere vt inde iram eius vehementem poſſimus percipere. Peccata procul dubio noſtra, heu nimis ingentia tanta mala in orbem inuexere. Maxima enim hominum pars in grauiſſimá culpam prolapſa eſt atque iniquitatem maximam omnes propemodum incurrerunt. Quòd vt clarius euadat lubet pauliſper quanquam non ſine lachrymis, ſtatum præſentis Eccleſiæ cum Florenti Patrũ noſtrorum ætate comparare. Atque vt ab Eccleſiaſtica dignitate coruſcantibus viris initium ſumamus: mẽtis noſtræ aciem in Eccleſiæ primæ lumina dirigamus. O quantum olim Eccleſiaſtica dignitas inter cæteras omnes tãquam ſol inter ſydera fulgebat? Quales olim Eccleſiæ rectores? Deus bone, quàm ſancti, quàm

iuini?In præcibus quàm aſſidui?in
ıunere peragendo quam ſtrēnui&
igilantes?In inflammando populū
uam acres? Quis cohortari ad vir-
ıtem ardentius? quis à vitiis reuo-
ıre ſeuerius?quis vituperare impro
ɔs aſperius? Teſtis eſt inſignis illa
ɔnſtātia Ambroſiana quæ vnicui- *Ambroſius epiſtola 32 ad Valentinianum.*
ıe epiſtolam eius 32. ad Valenti-
anum Imperatorem legenti per-
icua eſſe poteſt. Teſtis inſignis ille
piſcopus Cordubenſis, referente *Athanaſius ad ſolitariā vitā agentes.*
thanaſio ad ſolitariam vitam agē-
s, qui infracto repreſſit animo Cō-
ıntij Imperatoris proteruiam. Te-
s quoque Babila Epiſcopus, quē *Nicephorus.*
icephorus commemorat magno
ιimo, Numeriano in faciem reſti-
ſſe, quòd liberè quaſi, per cancel-
s inſpicere arcana Chriſtianorum
yſteria præſumpſiſſet. Accedat huc
ela Epiſcopus qui eodem teſte li- *Niceph. lib. 11. hiſtoria cap. 38.*
o 11 capite 38. Eclleſiaſticæ ſuæ hi-

ſtoriæ, tantæ fuit patientiæ vt hoſtiũ inſidias ſibi tendentiũ animos appoſitis ſedauerit epulis: vt virtutum & conſiliorum etiã multis in locis diuerſitate, Eccleſia Catholica ſemper euadat illuſtrior. Huc quoque pertinet quod narrat Gregorius Magnus libro tertio dialogorum capite primo de Paulino Epiſcopo, qui ſua non tantum impendit, verum etiam ſeipſum pro ſalute ſubditorũ, hoſtium tyrannidi obiecit. Nec mirum quod præclari iſti viri ſe omnibus nã admirãdos prębuerit. Omnibus enim virtutibus vitã ſuam excoluere, in hoc omnẽ operã collocauere, irreprehenſibilẽ, ſobriam pudicã vitam vt ducerent, omnib⁹ denique coloribus, quibus D. Paulus 1. Timoth. cap. 3. & ad Titum 1. ad viuũ depingit Epiſcopum & ſacerdotẽ, ſe ornauere. Porro nunc temporis, Deus bone, quantum intereſt inter

Gregorius lib. 3. dialog. cap. 1.

1. Timot. 3. Tit. 1.

ꝛædictorum viuendi rationem & iquorum eorũ qui hac tempeſtate dignitate aliqua conſtituti ſunt. Nunc ſal in ijs infatuatũ eſt, obſcutum eſt aurum, mutatus color opmus: nunc in quã, velut antiquata contempta vileſcit pleriſque Caolicæ religionis diſciplina, vt flere agis lubeat quã de pauculis etiam nũ aliquem in medium adferre, cũ terim nec illud ſuppreſſum oporit eſſe in eo Præſulum ordine vios omni cum pietatis tũ eruditiois laude cumulatos. Ad Monarhas, ſummóſque Imperatores, Reges, Principes, quibus primitiua Ecleſia florebat, ſi oculos noſtros onuertamus, quanta quæſo pieta-, manſuetudine, humilitate toam vitam inſtituebant? hi reciiebant Religioſos tanquam Ecleſiaſticos viros, terque quaterue fœlices ſeipſos exiſtimabant ſi

amplecti eos, ſi manus exoſculari potuiſſent? Hinc tanta ſolicitudo monaſteria erigendi, Eccleſias conſtruendi: hinc tantà munificentia in locupletando, ditando, ornando. Sed heu, quantum mutatus *ab illo* præſens Reipublicæ Chriſtianæ ſtatus? Nunc monſtra reputãtur viri Eccleſiaſtici, quorum habitus olim venerabilis erat, nun eſt abiecta vilior alga? Quid ajo? In tantam audaciam prorupit hominum peruerſitas, vt religionis ſtudium procul à multis regionibus exigere non dubitarint. Expulſa enim ex Anglia, Scotia, Belgica, parũque abeſt quin ex maxima Europæ parte, religio, vita ſpiritalis, Chriſtiana doctrina longè abigatur. Omnis refrixit penitus charitas, hinc non minor eſt apud pleróſque ſacerdotalis ordinis ignominia, quam antiquitus eius fuerit gloria ridetur, ſcommatibus,

defectu legis pœnalis multis in lo-
cis impetitur, & quaſi Deo ita ſacri-
icium fiat nihilnon iniuriarum ac
contumeliarum ei infertur. In ſum-
num Pontificem plerique vel pro-
etarij & trium literarum homines
aledicta conferunt: omne eius fa-
tum licet etiam ſanctum, conuitiis
nſectantur. Cardinalium vitam te-
errimis maculis obſcurant. In Epiſ-
oporum pietatem & induſtriá in-
redibile dictu quàm ſæna & aſpe-
a tonitura mittant, in Religioſorũ
itam & eorum Abbatias, ſeu mo-
aſteria vel conuentus quicquid in
uccam venit effutiunt, ſicque nihil
n vniuerſo mundo reperiri poteſt
am ſanctum quod improbiſſimo-
um hominum calumniis expoſitũ
on videatur. Verum hæc vnde tan-
a calamitas? vnde tantus rerum ſan-
tiſſimarum deſpectus? vnde tanta
gnominia? Non aliunde profectò

(vt iterum repetam) quàm à nobis ipſis, exigentibus hoc intolerabilib⁹ peccatis noſtris. Cui enim antea charum fuerat peregrinantem & exulem animam ſuam, ſacris diuinæ legis meditationibus, ſacrorum præceptorum obſeruantiis, diuini officij obſequijs tanquã cœleſtibus paſcere bonis, Dei beneplacita ſcrutari, cœlos penetrare affectu, mente circumire ſupernas manſiones, ſalutare patres Prophetarum, alloqui coronas Apoſtolorum, martyrium admirari triumphos, obſtupeſcere ad pulcherrimos Angelorum ordines: nunc omnibus his contemptis, turpi ſe quiſque corporis mancipat ſeruituti, carni habenas laxat, ventri indulget, in auaritiæ ſtudio omnem curam induſtriam atque laborẽ figit, fas omne abrumpit, omnique flagitio turpis lucri cauſa ſeſe aſtringit, vt meritò de temporibus hiſce

Ouidius Metamorphoſeos 1. vaticinatus fuiſſe videri potuerit, dũ act. 2. Ouidius Metamor. 1.

Protinus irrupit venæ peioris in æuum
Omne nefas, fugêre pudor, verúmque, fideſque:
In quorum ſubiere locum fraudeſque dolique
Inſidiæque & vis & amor ſceleratus habendi.

Abſit tamen vt hæc de omnibus, dẽotis nullis, lata credatur ſententia. Confido namque & perſuaſiſſimũ habeo multos in officio ſacerdotali cóſtitutos, diſciplinatæ vitæ amatores, ſalutis ſuæ deſiderantiſſimos, rebus fluxis & caducis minimè inhiantes ſed cœleſtia affectantes vbicunque terrarum reperiri: nihilominus tamẽ omnes & bonos & malos opprobrium manat. Tãta enim eſt multorum tepiditas, tanta diſſolutió, tanta diſcordia, tanta denique viget in eis paſſionum maluũ & vitiorũ (vt ſic loquar) immortificatio et bonorum nomen obſcuris offucatum ſit tenebris.

Quid igitur mirum ſi Domin⁹ nos det in opprobrium & in ſibilum, & quod minatus eſt, in direptioné cunctis gentibus? Nam cum antea ter fœlices ſe eſſe putabant ſi religionem Catholicam magno animi affectu colerent, modò ſecus omnia contingũt. Oculi hominum (inquit ſcuptum ſacra) ad auaritiam & ad ſanguinem effundẽdum, ad calumniam, ad curſum mali operis intenti ſunt: in Geneſi quoque legitur quia vidit Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra & omnis cogitatio cordis eius intenta ad mala. Et in prouerbiis ſcribitur Pedes hominum ad malum currunt. In Ieremia, De malo in malũ ingreſſi ſunt: quare rectè eos mala ſequũtur. Hin Gregorius Nulla dominabitur aduerſitas, ſi nulla dominatur iniquitas, nec aliud clamat ſapiens, Corda, inquit, filiorum hominum replẽtur

malitia & contemptu in vita ſua, & ſubdit, & poſt hæc ad inferos deducentur. Natura enim humana tam deprauata eſt vt ex ſe mutari nó valeat, quare neceſſe eſt eam comitentur mala: ſequantur aduerſa. Hinc ſapiens, Nequam eſt natio illorum & naturalis malitia ipſorum quoniá non poterit mutari iniquitas ipſorum in perpetuum, ſemen enim eorum erat maledictum ab initio. Sed dicet aliquis iuſtè quidé malos mala ſequùntur, bonis verò præmia nó ſupplicia debentur: ſed audi quid reſpondet Iob. Si impius fuero, væ mihi, & ſi iuſtus, non lauabo caput ſaturatus afflictione & miſeria: primís enim afflictio: pœna eſt, ſecundis medicina: illis ſupplicium, iſtis exerritium & præmium, omniú tamen, vt ait ſapiés, multa eſt afflictio, quod Apoſtolus non negauit, inquiens ad Timotheum, omnes qui

viuere volunt in Chriſto, perſecutionem patiētur. Hæc ſunt quæ hoc tempore de viris longè integerrimis ſcribenda eſſe putauimus, quòd res profectò indigna eſſet, martyria tot præſtantiſſimorum Patrum perpetua obliuione ſepelire. Laborauim⁹ in eo non quantum voluiſſemus, ſed quantum patiebatur temporis ratio: feſtinantibus ſiquidem quibuſdam hac in re fuit obſequēdum, qui exiguis temporis & anguſtis terminis nos arctarunt. Si ergo qua in re dormitatum fuerit, veniam dabit Benignus lector: cui ſi hæc placebunt, alia adhuc quædam quæ habemus præ manibus non inuiti offeremus.

DE MARTYRIBVS FRANCISCANIS QVI IN FLANDRIA CVM CIRCA GANDAVVM TVM alibi pœnis acerbiſſimis mortéque affecti ſunt.

FLANDRIÆ regio vt eſt rerum omnium vbertate afflués, ita etiam, vt ferè fit vbi luxuriæ inſtrumenta non deſunt, omnium hereſeôn ſentina quam commodiſſimè eô fuit inuecta. Hinc eſt quod tot támque crudeles ibi ſacerdotum aliorúmque Eccleſiaſticorum virorum clades, tot Catholicorum ipſorum, qui opibus pollebāt, diuitiarū rapinę extiterint, tam facilè etiam ad aliorum exemplum ſe compoſuerit, vbi vel de exterminando imaginum vſu vel de

Sacramẽtorum vi & energia infringenda fuit quæſtio. Quid quod nouiſſimis hiſce temporibus dum Iconoclaſtarum furor in ſtatuas & picturas debacchabatur, non putarint expectãdum ſibi qui ſignum attolleret, ſed ij ipſi hac in re ſummo factu elati & primi & duces apud omnes ſui fœderis ſocios eſſe voluerunt idque tam magna dexteritate perfecerãt vt vbi in aliis regionibus quædam adhuc ciuitates perpetũò manſerint ſanæ, hæc vniuerſalem aliquã ruinam ambiiſſe ſit viſa. Quid ita? Nam cum luxus ibi eſſet intolerabilis, rerum omnium ſuppetẽte copia: ſenſim vſqueadeo excreuere omnis generis vitia, ita hæreſis inualuit vt dormitantibus iis quorum intererat prouidere ne quid Reſpublica Chriſtiana damni caperet, iuſtitia labefacta, iam caput exerere, & in altum attollere auderent hæretici. Hinc fa-

ctum eſt vt nõ ſolum etiam iis temporibus quibus aliquid de ſectariorum machinationibus erat nouus iunior, verum etiam & aliis cum res Catholicorum ſumma quiete frui viderentur auſi fuerint conceptum animis virus in populum Dei euomere. Contigit ab hinc annis plus minus vndecim fuiſſe Gandaui, totius Flandriæ oppido pręcipuo, mercatura, ſcholis in vniuerſitatis moré frequentatis, cócilio legúm peritiſſimorum virorum honore, celeberrimo: nobilitate atiam curiáque ibidẽ collocata illuſtriſſimo, rebus etiam omnibus vt videbatur pacatis fuiſſe dico homines ſceléſtiſſimos qui pridem diabolo nomen dederant vera Chriſti renuntiata fide. Hi (vt ſolet hoc hominum genus) cõuenticulis ſanguinolentis perniciosiſſimíſque perſæpe vbi ſeipſos in reb⁹ peſsimis indies cõfirmabãt delectabãtúrque

mutuas in hoc inuicẽ præſtãtes operas. Ad mœnia ciuitatis frequenter conueniũt quòd arbitrarentur ibi ſe latere poſſe magis vbi minor eſſet populus qui quæ agebant & quæ captabant conſilia aduerſus iuſtos poſſet prodere. Accidit interim quodam die vt dum præclarum aliquod ſuæ factioni cõueniens ſtratagema, ſtatuiſſent edere: ciuitate ſibi putarint egrediẽdum, vt contra eam aliquid foris machinarentur quod intus nequibant perficere. Geſta hæc ſunt circa ſanctorum omnium celebrem diem, inualeſcentibus iam & frigore & tenebris, hieme nimirum incrementũ ſumente. Diſploſis itaque in pace ſumma, bellico more tormẽtis, exeunt & obuium quamque minari voce aggreſſi, Prętori ciuitatis vt indicet imperant ſtatuiſſe ſe extremum aliquod malũ ipſi inferre caueat ſibi & proſpiciat ea qua

valebit induſtria: exitium ipſi impẽdere. Nec mirum ſanè cum null⁹ vnquam ſecurus furum aut latronum penitus nemo multo minus hæreticorum aliquis in Republica bene conſtituta, vnquam laudauerit aut cruces aut diſtortorũ membrorum cruciatus aut exuſtiones multò minus eos qui horum ipſis cauſa viderentur prætores. Ille ergo ipſis lapis offenſionis erat in quẽ canino more dentes ſuos defigerent dum ſibi timentes de futuro ſupplicio vindictam ſumere deſiderant. Probè ergo vt ſibi videbantur, ſchopis, haſtis, galeis inſtructi dum procedunt, mercatoribus viginti occurrunt: quorum numerum quod ſe ſuperare non poſſe cernerent, cõflictu abſtinuerunt, aliam ſibi expectantes & exoptãtes prædam. Erat hæc profectò res ridicula penitus, cum iuramẽto prius rem flagitioſiſſimam cõ-

firmaſſent, interfecturos ſe obuios quoſque, id magna quadam animi elatione per viam vbique iactitantes. Iephte inſigni potius cótra Ammonitas victoria, votum quod Deo vouerat pie quidem ſed non ſine temeritatis nota exoluit quod vndecimo Iudicũ capite habemus, Votum vouit Domino dicens, ſi tradideris filios Ammó in manus meas: Quicunque primus fuerit egreſſus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti eum pace à filiis Ammon, eum holocauſtum offeram Domino. Fecit id certè filiæ propriæ, patri ea victoria potito cũ choro gratificaturæ & cum tympanis occurrenti non illi parcens. Temerita ea erit vouere quod iudicij ratione fultum nequaquam erat: impietatis, verò temerarium votum exoluere maximè circa eam quæ eſſet ipſi longè quam chariſſima pie-

Iudic.11.

Notandũ.

tas tamen quædam erga Deum illuxit cum in gratiarũ actioné ex imis animi profectam penetralibus ſolenni voto teſtatam eſſe voluit, imprudentius tamen poſtea agens nihilominus pietatis omni honore non deſtitutus, Legerat enim vouete & reddite. Ridiculum verò ſic vouere eſt, vt inde ad effecto animas ipſi perdamus. Vel quod effidiendũ iuſta non diſcreſſionis ratione. Legimus non minus prophana quæquæ perplectura nobis fatuum votum & irritæ ſpei non eſſe admittẽdum, vt narrat Abb. Vrſp. Auen. lib. tertio. Quod Alactus de Tridento, cum à Scenone diacono illuſus eſſet dum pro Rege Chuniberto, cuius arma induerat, ſe gerebat, vouit (& ſanè ſtultè) votum ſi victoriã de Chuniberto reportaret, puteum vnum de Clericorum teſticulis impleret: In prælio autẽ ipſe cedidit, & Chu-

nibert⁹ victor euaſit. Simile per om-
nia penes ſpeculũ eſt quo fatui cer-
tè faciẽ viderãt ſuã. Loueachi⁹ dũ Co-
miti Egmondano Amurathi cóſan-
guinate propinqu⁹, vouit ſe nó pri⁹
vngeues, barbã, aut crines pręciſurũ:
quã ipſius comites iniuſtam necem
quã ſic vocauit ſed falſè, vindicaſſet,
ipſe autem ab ſtrenuiſſimo Duce ex-
pertiſſimoque inter terreſtres campi
ductores facile principe cum ſuis de
bellâtus eſt. Narratur hiſtoria in bel-
lo ciuili Gallico. libro quarto & Do-
mini Laurentij Surij Carthuciani li-
bro rerum geſtarum. Verum quot-
ſum hæc? vt nimirum introſpicia-
mus ſi quid ſit in vobis aut ſalis aut
pietatis aut actio aliqua quæ teme-
ritate vacet. Iuramento adſtrixiſtis
conceptam voluntatem, nihil Deo
vouiſtis quia in re diabolicis incan-
tationibus adminiſtrata quis locus
poterat eſſe diuinis cogitationibus?

nihil etiam præclarum quod Deo acceptum eſſet præceſſerat. Quā iureiurando interpoſit ſententiam ratam eſſe voluiſtis, eādem circa mercatores deſeruiſtis, non quod nolletis ſed quod multitudine aduerſariorum impediremini: putaſtis itaque truculentorum iſtorum ſpirituum rabiem non extinguendā ſed differendam & in alios exercēdam. Occurrit itaque vir longè optimus in D. Franciſci familiam accitus qui eo in ordine dignitatis etiam honore erat illuſtris. Vicarij enim officiū adminiſtrabat apud Hānones. Erat is quidem In-ſulis Flandrorum oppido genitus vbi adhuc matrem habet ſuperſtitē, duaſque ſorores quæ relicto furibundo hoc ſæculo monialium cætui ſe adiunxere, At hi tamen Hannoniæ conſtitutis, eius loci apud ſuos fuit Vicarius, honor profectò qui non niſi egregie pium

doctum ac ſingulari iudicio præſtā-
tem ſolet conferri.Erat huic cognomentum Prus.Venit hic Atho Gandauum vbi tum temporis degebat prouincialis miniſter Pater Ioannes Gillot Namurcenſis patriæ,vir inſigni & fide & pietate,mirifica rerum cognitione præditus,in rebus gerēdis adeo dexter vt quod in ordine noſtro magni nominis certè eſt officium Cuſtos Cuſtodum fuerit deſignatus,Romæ etiam ſuum datum ſuffragium fuerit in iis comitij quæ à Franciſcanæ familiæ ſodalibus inſtituta fuere vt Generalis vniuerſi ordinis miniſter deligeretur, vbi tū eximium illud noſtri ſęculi Eccleſiæ lumen fuit delectum, nimirū Chriſtophorus à Capite fontium, modò Archiepiſcopus Cæſarienſis penes quem totius iſtius ampliſsimæ & per totum orbem diſperſæ familiæ eſſet ſumma poteſtas, quàm hoc
maioribus

maioribus ornamentis decorauit quod eſſet ipſe virtutum omniũ & ſcientiarum ornamentis clariſſimus. Ad hunc ergo Giliot Prouincialem venturus Pater Vicarius Prus vnâ cum fratre laïco, quem familiarem, recepto inſtituti huius nomine poſſumus nũcupare, ſamimiliari hos ſceleſtos perduelles habuit obuios. Ij mox vt Patrem vnâ cum familiari perceperunt, quicquid reſidebat in ipſorum animis mali, in hos exerẽdum putarunt. Itaque tanquam tyrocinij ſui ſpecimen eduturi bene precantem illis Patrem Vicarium caſtrẽſibus ſuis circuitionibus quaſi metus eſſet a binis, & proinde aſtu tractanda res eſſet, tantum effecere vt Pater à ſodali diuelleretur. Egregiè profectò rem peragunt lupi plurimi contra agnellũ vnũ, truculentiſſimi plurimi cõtra eum qui nihil gis in votis habebat quam omnes

ſingulari beneuolentia cõplecti, denique armorum inſtructi omnis generis milites contra inermem qui ſe religionis votis obſtrixerat Patrem. Contigerunt hæc ſexta hora veſpertina ſole iam inclinato & omnibus ſe in domos recipientibus. Hic generoſis iſtis cataphractis victoria tam præclara elatis an miſericordia aliqua vſos putam⁹, vt culpatum quod ſeſe religioni reformatæ opponeret demitterent? Non ſanè. Quid ergo? Vnus illorum adeò graui iſtu maiore ſclopo ceruicem eius percellit vt partes hinc inde diſperſæ fuerit. Vnde dubitari nequit quin ſæuitia ea fuerit pluſquam Neronica vt ictus ita validi alicui incutiatur vt ferrum duriſſimum circulo etiam ſuo duplex iiſque in inſtrumentis maximè ſolidum vnà cum ſubiecto ligno, forti eo admodum rumpatur & hinc inde diſſileat? Nec tamen ceſ-

ſat barbaricus furor quin ſupra ſiniſtri lateris coſtas ſub humerum vulnus reciperet acerbiſſimum, quod tamen non ſatisfecit impietati ter quaterque nefariorum hominum dum identidendant & alterum in dextero latere:periculo tamẽ magis vt poſtmodum videbimus, expoſitum. Eo perpetrato inde abſcedunt mortuum eſſe putantes quem tot plagis cõfixerant quique iam in ſuo ſanguine contabeſcebat cum in terram pron⁹ iacet. Familiaris interim frater huiuſcemodi ſæuitiæ non aſſuetus excluſus à dulciſſima Vicarij ſocietate,ad latebras confugit. Horride itaque frigore occupatam aquã ipſe occupat quæ ibi in vicino loco cum eſſet præſentis effugij dabat inditium. Interim Pater Vicarius dum mortem in ſupremis labris habuiſſet conſtitutam, pro mortuo etiam à ſceleſtis iſtis hominibus derelictus

ad ſe aliquantulum rediens, cum tamẽ ad primum etiam in ceruice datum vulnus, læthale ſe illud recepiſſe clamitaret: ſurgit & tanquam vitam ſuam in dubium reuocans alternantes habebat opiniones viueret ne an iam periiſſet. Mirũ quiddã euenit. Nam quod homo quãtumuis collectis maximè ſenſibus vniuerſis, ſano vndequaque iudicio locorum omnium ea in patria cognitione ſumma præditus non potuiſſet, hoc perfecit ſanctiſſimus Pater. Ventilem molam conſpicit, verſus eam tandit nequicquam dubitans quin aliquod hominum conſortiũ ſit ibi reperturus. Tranſgreſſus vero pontem aquæ ſuperiectũ, ſi modo pons appellandus ſit, qui pontis vix vmbram haberet vt quem tenuis arbuſcula faceret, & proinde difficilẽ maximè ſanis præbebat greſſum ita tranſiuit vt læſione nulla videre-

tur affectus. Accedit itaque caſam môlédino vicinam familiam reperit in præparandis, quæ ſequenti die ad forum venales deportantur, rapis. Hic vir optimus magna veniæ præfatione vſus quod domum alterius veſpertina hora non inuitatus ingrederetur aliquod in tantis malis quæſiuit ſolatium. Herus ergo accurrit, accurrit & fœmina vna cum ſobole tota vt Patrem quibus poſſint obſequiis deliniant, Inſtruitur focus, ſermo de aliquibus etiam rebus inſtituitur. Quo facto, Circunſpiciamus inquit, patientia incredibili præditus vir quæ tormenta mihi inferéda putarint qualéſque ſint eæ plagę quibus miſerũ hoc corpus affecere. Et vt non adeo recrudeſcerent vulnera, per inferioré fimbriá acceptá veſtem petiuit conuolutam ad caput deferri, quod hac ratione non tam acerbus videretur futurus

vulnerum à veſte auulſa contactus. Verum vbi iam dextro latere veſtis dimouetur in riui ſalientis ex edito loco morem exilit ſanguis & camini oppoſiti inferiorem qui igni vicinus eſt parietem conſpergit ſumma vi & præſentium maxima admiratione. Quod vt videt ſanctus Pater cuius pectus diuino amore flagrabat, Gratias, inquit, ago vobis qui me beneuolentia hac veſtra complexi refeciſtis & Deo meo infinitas qui me iſtorum manibus voluit hic occumbere. Ita interemptus eſt is qui pro ſodalitij Franciſcani ſalute aduigilans, Prouincialem cóuenturus eô venerat. Voluit illum, non dubium eo honore martyrij proſequi Deus, quod in terris conſtitutus Dei etiam gloriæ cui omnis debetur honor & gloria, eſſet quam ſtudioſiſſimus. Molitor vt videt Patrem ſuis in ędibus animã exhalaſſe,

ad Frăciſcanorum collegium accurrit, lachrymabilem hoſpitis ſui caſum annunciăs, cum interim etiam ad Prętorem larij deferuntur rumores ab iis qui ab egredientibus erant moniti vt quæ minabantur, liberè nuntiarent, imminere ſcilicet. Præſidi caſum incluſtabilem. Itaque ſuo functurus officio non ignarus Gallum (Vuallonem poſſumus dicere) eum eſſe qui Prouinciali fuerat ſocius, Vuallones ex vrbe emittit viginti tres, totidem etiam Flandros qui bellicis inſtrumentis inſtructi, iam ſerò ciuitate egrediuntur (tum ſiquidem temporis in ciuitate Florentiſſima portæ etiam de nocte patebant) admirantes nequiſſimorum hominum tyrannicam barbariem. In turmas ſe diuidunt vt ſaluti familiaris conſulerent quem non dubitabant fuga iniiſſe &

in latibulam aliquod confugiſſe. Vndecim ergo Galli Flandros aſſumunt vndecim qui clamoribus omnia complentes miſeri fratris requirebant reſponſum. Ille verò aquæ frigore cócreta habens omnia mébra ſtuporem contraxerat vt etiam ſenſus ipſi vis omnis periiſſet, cũ interim vt ab imminentibus quæ putabat & metuebát periculis eſſet tutior dumeto vicino rubis & ſpinis concito ſe contexiſſet vt conſpectũ omnium lateret. Hic vt audit toties inclamari nomen ſuum quantũuis ad ſalutem eius ſe veniſſe ſerio repetitis ſermonibus indicarent, nihil arbitratus tutum, cum ter prius circa dumetum aquæ vicinum vt ferè reperire eſt apud Flãdros obambulaſſent vt ipſi eſſent quam proximi: periculo maximo plenum aggreditur facin⁹. Aquæ enim fluxum perpetuo ſequens, ad eum venit locum

vbi vadum vix reperiret, aqua collum eius iam occupente. Exaudit iterum inclamantium voces & inter ſpem & metum miris anxietatibus agitatum habens animum conſtitutus, tendit ad ripam, quæne ſalutis ſpe pertingere ſe poſſe confidebat. Egreditur acerbiſſimi frigoris importunitate preſſ⁹ idque adeo vt an viueret ſanus an vero morti iam eſſet proximus omnino non ſciret. Educitur ergo ad molitoris ſupra nominati domum vbi Patris Reuerendi cadauer intuitus non potuit non ingemiſcere & deteſtari nouorum hoſpitum crudelem audaciam in virum optimum & ſingulari benignitate commendatum omnibus deſignatam. Refecit ſeſe vt potuit & animum tandem arripiens manifeſtiſſima vlterioris vitæ ſigna dedit, qui quantumuis ab impiis dimitteretur ſaluus, tamen eo fuit metu per-

culſus, ea hæreticorum quam non ignorabat multorum relatione ſæuitia pluſquam barbarica turbatus vt ibi ſalutis præſidium ſibi quærẽdũ eſſe putaret vbi ſæpe alij cauſam exitij reperiſſent. Reuerendus Pater Vicarius ſepulturæ mãdatus eſt humeris piorum fratrum in vrbem delatus, inter quos fuit vir ſingularis pietatis & eruditionis: Pater, Iacob⁹ Vaſſeur qui qua eſt in efformandis concionibus dexteritate atque adeò Zelo pro domo Dei dum nullũ nõ mouet lapidem vt ſalutaribus diuinæ legis paſcuis recreetur reficiaturque grex Catholicorum ſibi diuerſis vicib⁹ hac in re cõcreditus ac proinde quid pietas ipſahic requirat ignorare nõ potuit: martyris ſanctiſſimi qui etiã pridẽ de Eccleſia Catholica ſimilibus officiis erat optimè meritus: ſumma quadã animi gratulantis lætitia corpus ſuorũ putauit hume-

rorũ opera ſublatũeſſe inhumandũ. Is,vt pars huius rei non modica fuit, atque etiam plurima à familiari percepit quem non exiguo fuit proſecutus munere vt vniuerſæ rei veritatem cognoſceret,vnus eorũ fuit qui nobis hiſtoriam hãc patefaceret,cui eo magis adhibenda erit fides quod ab eius ore iampridem multi depẽdeant vt diuinarũ rerum cognitionem cõſequantur perſpectãque habeant quamplurimi hominis integerrimi etiam in familiari congreſſu fidem,eique hanc ob cauſam nihil non deferant quod indubiè facturi non fuerãt ſi aliquid quod vel parum à veritate recederet , ab eius pectore proficiſceretur . Statim vt res omnis ad Catholicorum aures perlata eſt , incredibile fuerit quam ingenuerint omnes & optimi patris caſum deplorauerint . Verum ea fuit iſtius ſæculi infœlicitas

quantumuis penes Catholicos ſuprema authoritas eſſet, vt nefarij quiuis quemcunque reperiſſent vere Catholicum, eum hoc nomine ſibi putarent interimēdum quod veram fidem eſſet amplexus. Hinc tot clades ibidem, tot latrocinia tot Eccleſiaſticorum virorum perſecutiones paccatiſſimis etiam Florētis Eccleſiæ temporibus, vt viderim⁹ ſubinde nemora flagitioſiſſimorũ hominum cohortibus plena fuiſſe, itaque eos paſtoribus aliiſque viris optimis inſidiatos, vt non deſiſterent donec aliquos reperiſſent in quos ſuam exererent rabiem. Solebant tũ aures, nares & ſi quid aliud eorum animis collibitum fuiſſet præcindere, indéque roſarium, vt noſtræ religionis hominibus vſitato vtar nomine, conficere, ne quod barbarum exemplum prætermitterent quod alias fuiſſet vſurpatum ne etiam

nouũ aliquod poſt modum reperirent ſegnaces de quo laudis gloriam aucupari poſſent quod nouum inſolentiæ genus aut inuſitati torméti comperiſſent. Atque eo deuoluta eſt ſuperbiſſimorum hominum audacia ſcelerum ſuorũ conſcia vt cum monetur ſubinde hæreſis infamia notat⁹ quod ea ratione quam ſubit vitam inſtituens, cœleſtis regni particeps non ſit futurus, reſpondeat, animam ſi Deus nolit, Diabolum profectò non recuſaturum. Dicite mihi per fidem veſtrã degeneres filij quos hic non immeritò compello qui ſanctæ matri Eccleſiæ iápridem nuntium miſiſtis an hæc ſint virtute aliqua inſigni præditorum verba an verò, eorũ quos ſalutis nulla ratio tenet. Nam ſi Dei non eſtis filij, Diaboli quod ſitis non eſt mirũ vt enim dicit Chriſt⁹, qui nõ eſt mecũ cõtra me eſt, qui mecũ non colli-

git,ille diſpergit, Vos auté non modo non declaratis vos cum Chriſto non eſſe aut obſcurè cum illo inuiti colligitis,ſed toto mundo inſpectáte diſpergitis etiam & vineam Chriſti quibus poteſtis partibus,ſi modo poteſtis demolimini. Verum hic ceſſet orationis noſtræ curſus, cum Patris huius & adiuncti familiaris pœnas rudi licet Minerua,hucuſque depinxerimus. Ad laudem tamẽ Dei optimi maximi laborauimus, qui ſua benignitate omnibus nobis in veræ fidei confeſſione,ſtabilent concedat atque ad tormenta ſuſtinenda pro eius amore indubitaté animum, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

QVAE AB HAERETICIS PERTVLERIT F. Guilelmus Holſt Franciſcanus.

BRugis celebri Flandriæ oppido & olim emporio quod ibi fuit celeberrimũ, illuſtri habuit etiam ſuum Collegium Franciſcanorum ordo vnde non raro præſtantiſſimi viri prodiere qui labaſcentem Eccleſiá ſuis humeris ſuſtinerent. Fuit in hoc cõuentu quidem nomine Guilelmi Holſt, qui optimis erat prognatus natalibus virtutũ nobilitate clarior. Is cum lenta admodum febre teneretur, reficiendi animi corporiſque ſtabiliendi gratia in patriam ſibi putauit eſſe proficiſcendum quę ipſi erat non lõgè à Bruxella diſſita.

Huc dum veniſſet, nonnihil hæſit putâs aëris ea mutatione & libertate aliquali qua ibi potiebatur futurum vt corporis etiã mutaretur conſtitutio. Verum tantũ abeſt vt morbi vis ſe remiſerit vt etiam maiora ſumpſerit incrementa. Conſilio itaque nouo inde ſibi recedẽdum putat & ad collegium ſuum regrediẽdum. Venit ergo Gandauum, ac debilitati corporis exhauſtas propemodum omnes vires perſentiſcens, extra portas ciuitatis cõſtitutus quâ Brugas ducit iter incepit cogitare de vehiculo quo vteretur pedibus non valentibus fungi ſolito officio. Expectat aurigam quemuis oppido egrediẽtem rogat num dato ſtipendio poſſit currum conſcẽdere. Nullus non petitionem Fratris reiicit etiam ij quorum currus vacui propemodum doliis tantum aliquot erant onerati. Metuebant nimium

omnes

omnes ne quid contagij foueret vbi vident eum languere & corpore eſſe ita debilitato. Superueniunt interim validi iuuenes quatuor qui miſeratione moti fratrem auxilij omnis ſpe deſtitutum rogarunt an ſe illis vellet adciſcere comitem nondefuturos in quibus poſſint fratris neceſſitati. Adiungit ſe blădis illorum colloquiis aliquouſque recreatus & ſerpit potius quàm progreditur, adeo malum perpetuo inualeſcebat, infirmitate maiora perpetuo incrementa ſumente. In itinere verò denſiſſimum nemus eſt. Per hoc trăſeŭdum illis erat. Hic ergo occurrunt illi facinoroſi latrones qui ad nihil aliud tendebant niſi vt Catholicorum, religioſorum maximè, ſanguinem funderent. Dimittunt quatuor hos iuuenes, Fratrem verò arreptŭ multis verbis verberibuſque onerant. Cumque rogarent ji vt mitius

cum morbido Fratre agerent, reſpó derunt non diu illum morbo torquendum, ſe facile adhibituros remedium quo mali vim amplius nó ſentiat. Alligatum ergo ad arborem ſcloporum iſtibus petunt quamplurimis, collimantes in eum oculos tá-quam in ſcepi album vt ſagittandi peritiæ certa quiuis daret inditia, dũ in eo alter alteri præferri contendit. Cum iam pluries eſſet impetitus repetitis ſæpe ictibus, aduolant nefarij illum expiraſſe arbitrantes vt videát quis globulus ipſi læthalis eſſe potuerit. Diſpiciunt ſeriò & ipſum animam mũdum efflaſſe reperiũt. quid faciunt ſceleſtiſſimi? Securi ab occipitio ad nates vſque partẽ dorſi mediam ſindũt, non ſecus ac fit in porcorum mactatione quos occiſos eo modo aperire ſolitum eſt vt illa parte ad penetralia pateat acceſſus. Grauis adeò martyrio occubuit ſan-

ctus Pater. Nam ob pecuniam non apprehēſum fuiſſe eum qui pro inſtituti ratione pauper eſſet, manifeſtum eſt. Inſtitutum ergo monaſticum maximæ huic crudelitati cauſam dedit.

DE PATRE IOANNE Pennemans Guardiano Sluſenſi, qua ratione repertus ſit iugulatus.

BRugēſium olim celeberrima ciuitas quod mercatu omnis generis rerū eſſet inſignis vt pote emporium eo tempore toti mundo notiſſimum: portum habuit maximè frequentatum apud Sluſas in maris littore ſitas. Quas enim maioribus nauibus atque adeo tirannibus aduxerant opes, quas venui exponerent, mercatores: eas vbi ad Sluſas ventū eſſet per Dammenſe oppidū nauib⁹ non ita amplis quarū capax poterat

eſſe is fluuius, imponebãt ad Brugẽſe oppidum deferendas. Hac ergo in Sluſenſi ciuitate collegium fuit Franciſcanorum, quorum præfect⁹ ſiue Guardianus (vt vſitato vtar vocabulo) erat Pater Ioannes Pennemans. Contigit autẽ in inſula Sluſis vicina feſtiuitatem quãdam eſſe certo tempore, quæ, vt dieb⁹ feſtis prolixior & ornatior eſt ceremoniarum cultus etiam inſigni oratione à doctiſſimo aliquo habita, ſolet decorari. Hanc in rem deputatus fuit optimus Pater Guardianus qui & pietate & eruditione longè erat præſtantiſſimus. Proficiſcitur itaque eò vir zelo Dei exardeſcens vt celebrẽ feſtiuitatem, celebri oratione exornaret. Quod quidem feriò perfecit, nõ parum in ſeſe hæreticorum animos qui longè latéque ſua indies, clãculum tamen extendebant pomœria, extimulans, non ferens indomitam

flagitioſiſſimorum hominum arrogantiam incrementa ſemper ſumere, & in certiſſimam Eccleſiæ perniciem propagari. Hunc ergo à concionis loco recedentem, ingulant, ſemotis arbitris ne luctuoſiſſimi, optimi viri caſus, authores eſſe ab aliquo dicerentur. Repertus eſt interẽptus, facinoris authores necquicquam inuoluere. Cauſam occiſionis non vitium aliquod, non proditionis ſuſpicio ſed vitæ dedit innocentia & integritas.

DE IIS QVI IN DIEſtemio Brabantiæ oppido extincti ſunt.

CVM his vltimis temporibus quibus Iconoclaſtarum rabies in viros quoſque optimos deſæuiit, ante annos plus minus duodecim: contigit eos etiã magna vi Dieſtenſem ciuitatẽ ingredi vbi duos Frãciſcani

inſtituti fratres turpiter necant cum ante opidum duos etiam prius interemiſſent atque alios duos vehiculo impoſitos carnifici tradũt ſuſpẽdendos. Horum alterum aggreditur Miniſter ſperans ſe facile hũc in ſuã ſententiam pertracturum. Itaque vbi ſermonem finiuiſſet impius: Frater hic graui oratione incipit hominem cõmonefacere officij ſui proponens ei grauiſſimas inferni pœnas iudiciique ridigiſſimi iuſtitiam: qua fratris oratione irritatus magis quam emẽdatus, in apertam erupit contumeliam. Erat enim ea impotẽtis animi vis vt cum rationũ põdere ſe preſſum videret, ad iniurias & opprobria cõuerteret animũ. Militi verò cui cuſtodiẽdus erat traditꝰ frater eum vt dimitteret Miniſter rogabat: verũ perſtitit ille in ſuis cõuitiis obiiciens inſultantis more ipſũ de cruciatibus agere qui iamiã ſit laqueo,

finienda vita ad quod optimus vir reſpondit Breuem eã eſſe pœnã quæ patibuli ſupplicio inferretur, grauiſſimam & æternã eam fore quã Miniſter ſuſtineret apud iuferos . Hic magis exardeſcit nefariis hominis impotens anim⁹: marſupioque aperto profert daleros duos, illi patriæ viſitatam monetam, eoſque militi dat vt quam primum ſuſpẽdatur . Pluſquam fœmina profectò miniſtri impudentia & miſeranda militis auaritia qui mortem fratris venalem habuit modico argento . Et tamen huiuſcemodi agendi ratione plerique vtuntur, & nihilhominus in rebus vbique propemodum omnibus ſunt primi. His adminiſtranda Reſpublica committitur ſacra humanaque omnia permittuntur. Sũſpẽditur itaque ex arbore ipſe vita longiſſima dignus Frater & ex altera etiam eius ſodalis, Hoc modo fra-

ter vterque laqueo vitam finiuit, nó dubium quin iá poſt cruciatos iſtos finitos æternis gaudiis potiantur, ad quæ nos etiam poſt hanc calamitoſam vitam euehat is qui eſt in ſæcula benedictus, Ieſus Chriſtus Dominus noſtei. Amen.

QVA RATIONE APVD Ruremondenſes Franciſcani fuerint ab hæreticis excepti.

Ciuitas Geldriæ eſt Ruremóda oportuno admodum & belli tempore conuenientiſſimo loco ſita, ſedeſque eadem eſt Epiſcopalis quá hodie occupat ſolidiſſima illa Eccleſiæ columna GVILELMUS Lindanus homo certè & incredibili pietate & eruditione imcomparabili, qua præditus eſt, nunquam ſatis commendatus. Hoc oppidum ſibi occupandum putarunt hæretici quod & fecere. Atque vbi intrauerunt variis tormẽtis affectos

quam plurimos fratres & diuerſis pœnis excarnificatos, ſummo metu excruciarunt, morte etiam quibuſdam illata. Tanta enim ſæuitia omnia tranſigunt vt niſi plurimis præmiſſis cruciatibus morté non inferant: nec vllũ adeo crudele flagitium reperiri aut excogitari poteſt quin id habeant meditatũ & inferant vbi barbarié ſuã illis libet exerere: quéadmodũ eodem in oppido Germanus quidã miles dum apud Carthuſianos omnia demoliuntur ollam quandã pinguedine è cuiuſdã Carthuſiæ religioſorũ corpore extracta implet, vt ſibi ad offarum vſum quibus ille popul⁹ multum oblectatur ſeruiat. Ea eſt ipſorum crudelitas ea ad noua ſupplicia excogitanda & exequéda dexteritas, vt nihil tam ſit crudele quin ab jis iampridem ſit inuentum & vſitatũm.

MARTYRIVM PATRIS Ioannis Grai Scoti.

INter Belgij ciuitates, quæ plurimæ ſunt & famatiſſimæ vna eſt quæ rebus variis iiſque præſtantiſſimis gaudet Bruxella videlicet vbi & regis aula eſt vnde perpetua nobilium illic agentium ſplendore tantum & ipſa nobilitatur vt hoc nomine nulla ſit quæ commēdari debeat: ea ibi ædificiorum magnificentia quę editiſſimis illis Romanorū palatiis minimè cedant, diuitiarum affluentia illa quæ cum celeberrimorum emporiorū opibus contendat, denique res omnes ad cōmunem vitæ vſum neceſſariæ adeò abundè ibi reperiūtur ob commodum vrbis ſitum vt nihil ſit quod deſiderare meritò poſſis. Hanc itaque illuſtriſſimam ciuitatem ſibi putarunt occupādam hæretici, vt ſemper iis locis inſidiaban-

tur, quæ re aliqua cæteris antecellebãt. Occaſione itaque ſumpta quod illuſtruſſimus Princeps Ioannes Auſtriacus ea ciuitate exceſſiſſet Namurcum ſe conferens, atque Princeps Auriacus tanquam alter Iuppiter ſtator ab iis eſſet vocatus qui aut erant apertè hæretici aut hæreticis ipſi Catholici (vt videri volebant) non parum fauebant: videntes viam ſibi facillimam ſtratam eſſe ad eam vrbem inuadendam & conſueta cõtra-icones prælia inſtauranda feneſtram ſibi apertam eſſe, ductu Principis Auriaci ingrediuntur cum is qui iam erat locum tenens (vt trito vtar vocabulo) totius Belgij nimirũ à Patriæ ordinibus euocatus ex Zeelãdia vbi tum degebat vt etiã ſimul eſſet Brabantiæ gubernator, regiam etiã ciuitatẽ ſibi putarit occupandã. Turpe fuit profecto adeo turpiter libertatem prodere hæretico vt qua

ea gens Brabãtica, prærogatiua fruebatur nulli vt eſſet Præfecto alij ſub iecta poſt regem quam cómuni totius Belgij gubernatori, hominem tamen tũc adſciuerit qui vniuerſam illam patriam cladibus, incendiis, bonorũ direptione repleuit: vt nulli plus ſibi detrimẽti attulerint quam dũ præpoſtero id nimium conſilio vtuntur ipſimet, propriæ ſuæ ruinæ authores & quod metuebant ſperantes euadere cecidit ſuper eos, iuxta illud dictum propheticum, gladiũ metuiſtis, & gladium cecidit ſuper vos. Ezechiæ ſexto capite Stulta profecto fidutia eis fuit, quæ aliquando non hinc multis ab annis Baſilium Moſcouitarum Principẽ occupato Smoléctio, finibúſque proximis vaſtatis dum in Lithuaniá nó ſuam, irupiſſet patriam, Cõſtantino Ruteno, celeberrimi nominis Duci, ab Sigiſmũdo Rege miſſo Rege polono ad

Boriſthenē tradidit. Hiſtoria cōſcripta declarat ad longum quam miſerima ſit ſtulta confidentia maxime in re iniuſta & rebellione vt Flādris omnibus luce clarior eſt videtur. Iou: Hiſtoria decimatertia. Atque ſi hanc ob rem his Flandri perduelles à quibuſdam appellarentur, Hiſpanicum ſe tyrannidem à patria propulſare velle aiebant, cum interim eorum gubernatorum aliquis quos vnquam miſit Rex catholicus illam deſolationem funeſtiſſimam quam modo videmus Belgio nunquam attuli, vectigalium exactionumque multitudine ita ciuium benignitatem fatigauit, tot denique animarum ſtrages nemo fecit, nec a viginti ab hinc annis ab omnibus ſimul in vniuerſum factus eſſe eſt manifeſtum. Rebellio hinc eorū patet qui notiſſimæ Regis voluntati parere nolebant. Verū in optimæ alioquin

gente hęc eò obtigiſſe citius arbitrã-
dum eſt quod imperita eſſet techna-
rum earum quibus hęretici aſſueue-
re. Optimè ſibi conſultum putabãt
Catholici quod Princeps ille prin-
cipis tenebrarum ſatelles ſolenni
iuramento defenſionẽ fidei Catho-
licæ & Romanæ ſe futurum confir-
maſſet, verum cum iuramẽtorum ac
fœderum penes eos non ſit certa ra-
tio, facile putauit ſe poſſe pacta in-
fringere. Hic itaque vt Domino Au-
ſtriaco, cuius anima modo diuina
gloria fruitur, ſeſe opponeret, quic-
quid erat propemodum aut in Bel-
gio aut Scotia aut aliis partibus hæ-
reticorum ſimul cõtraxit, vt exerci-
tum inde conflaret: quod Catholici
validiſſimã manum iam Hiſpanorũ
& Albanorum tum etiam Belgarum
haberet paratam. Pugnatum itaque
eſt vltimo Ianuarij menſis die maxi-
ma animorum contentione, ita vt

pauci Sereniſſimi Domini Ioannis milites maximũ patriæ Ordinũ exercitum partim debellarẽt, partim in fugã coniicerent. Tum demũ præſidiis repleri ciuitates ex iis hominib⁹ cõflatis qui catholicæ fidei eſſent cõiurati hoſtes. Introducuntur ex his plurimi etiã in ciuitatem Bruxellenſem quã deſerendam ideo arbitrabatur Auriac⁹ quod metueret ne ciuili motu aut vi dederetur in manus Ioãnis Auſtriaci, qui indies ciuitates recuperabat vt iam etiã Louaniũ obtineret quatuor tãtum à Bruxella miliariis diſſitum. Bruxellę itaque dum eſſent hi præſidiarij milites, ſæpius vna cum maleuolis ciuibus diuerſo tẽpore captarunt conſilia vt tẽplorum cultúſque diuini vſum catholicis eriperent, cum in ea ciuitate, religio Catholica vſque ad miraculum ſemper floruiſſet. Sæpius nõ ſucceſſit quod multitudinem bonorũ formi-

darēt. Cōtigit inter cæteras Vatiniano eos odio Franciſcanos fuiſſe proſecutos, quod iuſtam Regis cauſam calculis ſuis & ſuffragiis ſemper cōprobaſſent & illorū induſtria viderent fieri vt in fide ciues maiore conſtantia vterentur. Hinc tot in eos conie&ta conuitia tot petiti calūniis, iniuriis manifeſtiſſimis, etiam tum onerati cum adhuc diuinus cultus perduraret, vt etiam iis temporibus a nece alicuius ſibi putarint abſtinēdum. Accidit poſtmodum accreſcētibus perpetuo vitiis, & hęreticorum numero augmētato, vt taceam Principis Auriaci authoritatem, incrementa indies ſumpſiſſe, maiore audacia etiam perditos homines vti incepiſſe. Accurrunt ergo furibundi ad Minoritarum collegium vbi tum temporis portarij mun⁹ obibat Anglus quidam cui Iacobus Leiſman erat nomen. Hic vt eos accedentes

percipit, fores, vt poteſt optimè, claudit omneſque aditus ita cõmunit vt nõ niſi vi poſſent ingredi. Ipſe interim ad dom⁹ interiora peruolãs, reliquis fratribus vt fuga ſibi conſulant ſuadet: quod & factũ eſt nã per poſticum ſecũ ſumptis jis quæ auſportare poterant euadunt. Erat inter reliquos vnus Ioannes Grai nomine vir grandæuus & multa grauitate conſpicuus ſeptuagenio maior Scotus ipſe ex illuſtriſſima Scotorum familia prognatus, patrimonio etiam adeò amplo vt niſi Franciſcani ordinis paupertas præ opib⁹ iſtis placuiſſet cum ditiſſimis etiam iſtius patriæ potuiſſet cõferri, vt hic taceam quod opimum maximè canonicatum cum iam Eccleſiæ miniſterio ſe addicere decreuiſſet recuſarit, tam erat firmum iſtud ſancti viri monaſticæ paupertatis ſuſcipiẽdæ propoſitum. Hic itaque præſen-

tiſſium periculum intuit⁹ fugere ob ſenium non ita commodè potuit & maluit in Eccleſia ipſa quàm alibi animam Deo reddere, his ad fratres verbis vſus. Hæreamus quæſo in hoc loco, nec arbitremur alibi fœlicius nos morituros quàm in Eccleſia corã venerabilis Euchariſtiæ ſacramento. Hic operiamur impios ſatellites vbi etiam ſepulturæ ſpes eſt maior quod difficilis corporum tranſportationis abſit incommoditas. Verũ non profecit apud eos qui ſibi ſatius putarunt fugam accipere quam vlteriore mora exacerbatos nequiſſimorum animos experiri. Illi interim qui ad mortẽ Franciſcanos Patres quærebãt vi magna vtũtur vt fores infringant, in quo adeò promouerũt vt eas deſſoluerint. Ingrediũtur tanquam rabie quadam concitati & obuium portarum qui ſolus permanſerat vnà cũ Patre Ioã-

ne.Qui frequētiſſimè repetitis iſtib⁹ cedūt,hac in eū clementia vſi quod non interficerent. Progrediūtur vlterius,in templo venerandum Patrē reperiunt nil niſi mortem ab impiis expectantem. Accurrunt itaque cędūt & verbis iniuriarū plenis hominem optimum laceſſunt. Ille quid ageret ignarus, humili voce parcite obſecro, inquit, parcite,Sæuiſſimi verò ji bonorum oſores, tibinè, inquiūt,ſceleſtiſſimè parcem⁹?arrepto quegladio eorū aliquis capiti grauiſſimum idque lethale infligit vulnus dicēti Ego certè vobis parco. Atque hac ratione vir ſanctiſſimus à peſſimis hominibus in loco ſancto corā corporis Dominici ſacramento interemptus eſt. Erat hic profectò vir incomparabilis, qui cum omnia potuiſſet vitæ ſubſidia in paternis ædibus cumulatiſsimè habere, maluit tamen ſortis ſuæ conditionē cū

inopia Fräciſcani inſtituti commutare. Et nequid ad ſpiritualium diuitiarum ſplendorem optimo viro deeſſet, voluit illum Deus ſupremo hoc honoris ornaměto decorare vt martyrij corona ornatum ad ſe vocaret. Quantæ in vita ſanctitatis fuerit illud abundè cómmõſtrat quod ſtigmatum B. Fräciſci habuerit pedibus impreſſa ſigna maxima, ad latitudinem ſemipollicis & eiuſdẽ dimidiati. Eorum ego vnum vidi dũ intuendũ ſigni cauſa pedem mihi exhibet, alterúmque fuiſſem contẽplatus niſi moleſtiæ decrepito viro inferendæ met⁹ ab eo me abſtraxiſſet. Mirum profectò eum virum ad illam ſanctitatis perfectionem attigiſſe qui alioquin omnibus ornatus cum corporis tũ fortunæ bonis potuiſſet à recto tramite ſalutis recedere & pernitioſis ex conſuetudine quorundam nobilium negotiis ſe

ingerere. Poſt occiſum optimũ Patrem accurrunt ciues vt quid ibi geſtum ſit perſcrutentur. Deprehendunt veræ pietatis patriarcham ſceleſtiſſimo facinore interemptũ. Ibi multus eiulatus, cum, vt diximus, Catholicos ea vrbs & feruẽtiſſimos & plurimos fouerit ſemper, lachrimæ effuſiſſimæ, querimoniæ infinitæ quod nefarij homines integerrimum virum trucidaſſent. Perſpecta ipſis erat viri virtus, innotuerat vniuerſis eius ſacrificandi ritus qui ſummo cum mentis affectu perficiebatur, præclaræ autem virtutis tot erãt exempla vt vnuſquiſque quid admiraretur quidque ad imitationem ſibi proponeret ſatis haberet. Certatim itaque atat non ſine contentione quadam ſancta, optim⁹ quiſque ciuis effuſi martiris huius ſanguinẽ partem aliquam ſumit & domum querulus reportat, vt etiam olim

exuſtorum martyrium cineres ſumma diligentia colligi ſolebant. Accidit verò vt quidã infirmitate grauiſſima detentus nouitate rei ad maximam admirationem adduct⁹, ſanguinem ſancti Patris ſibi vellet exhiberi, quo obtento eundem incredibili mentis affectu venerari cepit ac etiamnum exoſculari: quo facto qui in mortis faucibus alterum pedem defixum habebat, ſubito conualuit, infinitas Deo agens gratias quod martyris optimi ſanguis, melioris valetudinis imo vitæ occaſionem dediſſet. Agam⁹ & nos gratias Deo qui cũ nuſquã Eccleſiam ſuam deſtituat: hoc profectò tẽpore adeò calamitoſo non ſolum non eam deſeruit verum plurimis ornamentis, xaltauit dũ viri quiuis integerrimi libenter pro Chriſti nomine patiũtur, & nulla eſt natio, regio omnino nulla quantũuis ab Eccleſia Ca-

tholica maximè aliena videatur quin aliquē habeat qui Chriſti nomen ſua profeſſione & perpeſſis tormentis ſit atteſtatus. Vniuerſalē ſiquidem Eccleſiam eſſe hoc nō parū atteſtatur quod ſicut in fidei ſuſceptione locus omnes, nationes vniuerſæ ſunt participes, ſic etiam vbique ex omnibus ſint qui cruciat⁹ & tormenta mortē denique ipſam libenter ſubeant. Eſt regio illuſtriſſima Scotia hæreſeos tamen vitio quāmaximè infecta, ea tamen viros habet & doctiſſimos & plurimos ſingulari pietate inſignes vt in Belgio, illo ex regno vidimus quāplurimos: qui non dubitent etiam cum capitis periculo Catholicæ fidei profeſſionem facere. Quos egregios viros habēt modo ea regio, quoſque habuerit aliquando, non eſt neceſſe commemorare, qꝫ res ipſa notior ſit quā vt elucidatione aliqua egeat ci⁹

regni viris per totũ terrarum orbẽ diſperſis & incredibilis cum virtutis tũ eruditionis exẽpla ſingulis demõſtrãtib⁹. Vnũ hic referã ꝙ non pauci mecũ obſeruarũt eſſe in iis præter rarã pietatẽ, ingenij aciẽ incredibilẽ quã ad literas apportãtes omnib⁹ eruditionis laudè longè antecellũt. Scotus vnus huius rei teſtis locupletiſſimus eſſe poteſt qui ſolus tãtum ingenio eſt cõſecutus quantum reliqui ſcolaſtici omnes, cui quidem Scoti nomen hanc ob cauſam attributum arbitror, quod non parum ad commendationem eius facere putarent omnes quod eo eſſet loco prognatus qui præclariſſimorũ ingeniorum eſt feraciſſimus, quæ dum vt conuenit excoluntur ſingularem adferunt eruditionis fructum & laudem pariunt homini maximam ornamentúmque immortale, indubitato caſu poſſeſſori procu-

rant,ad laudem Domini Dei qui eſt corona,omnium, cui honor in ſecula. Amen.

QVALI MORTE DIXMVNDÆ INTERIERIT venerandus Pater Andræas de la Diick.

APVD Flandros ciuitas eſt, Dixmudæ habens nomẽ, quæ ob vicinorum hæreticorum improbitatem, ab imaginum confractione & ſimilibus ſectariorum actibus non potuit eſſe immunis. Ciuitas eſt oportuno ſatis loco conſtituta, non procul à mari, vnde commodius cô voluptatum, quæ ad Dei concitandam iram fiũt, inſtrumenta inuehi potuere. Offenſus itaque & illis Omnipotens, hæreticis illic viam patere voluit quib⁹ eorum corrupti mores qui prius in

oppido erant, caſtigarentur, amendarenturque: aut ſanè ipſorum, mẽtis ita exigentibus cum in profundũ peccatorum veniſſent, contemnerent. Ante trienniũ ergo à quo hæc ſcribimus cum ciuitatem illam iam occupaſſent: circa Pentecoſtes feſtũ ad inuadeedum Franciſcanorum monaſterium, quod extra oppidum ſitum erat, ſeſe parant atque eodem tempore maguo furore illud inuadunt. Cæteris fugientibus qui Diuo Franciſco nomen dederant, remanſit quidam decrepitus omnino Pater, ſenectutis vitio non ſatis firmis pedibus, vt fugæ tædia poſſet perferre. Hunc apprehendũt atque ad publicum carcerem ciuitatis deducũt. Vbi dum aliquo tẽpore fuiſſet detẽtus, ab iis ipſis furioſis ſatellitibus educitur publico ſpectaculo virgis cędẽd⁹. quod certè ea acerbitate fuit factum vt nihil niſi meram ſæuitiã

& tyrannidem hæreticorum ex adeò horrendis plagis liceat percipere. Acerrimè itaque exceptus bonus Pater carceres repetere cogitur ibique ea abſtinentia, totque incommodis & miſeriis eſt affect⁹ vt mors. neceſſaria fuerit ſubſecuta, quam dum homines impij ad proximam eſſe conſiderant, tanquam ſingulari eum beneuolentia proſequerentur, carcerem egredi iubét & in monaſterium ſuum ſe recipere. Quo cũ vix perueniſſet, tot exeſus cruciatibus, animam Deo reddidit vir longiſſima vita digniſſimus. Animaduerti hinc poteſt, quã procraci ſint in omnes bonos hæretici, qui religionis nullam, ætatis permodicam rationem habent, fouendus potius erat optimus ſenex quàm tot miſeriis excarnificandus: ſed ipſis præclarum viſum fuit de eo, referre victoriam, qui nec poſſet nec vellet,

magn opere crudelitati ſeſe talium, hæreticorum videlicet , opponere, ſed potius, & fœliciter quidem, pro amorè ipſius qui nos redimit , & ſanginem ſuum præſioſſimum pro peccatis noſtris effudit, ad mortem vſque animam traderet & ad verba impiorum inuariabilem reddidit. Cui Laus infinita in ſæculorum ſecula. Amen.

Finis Martyrij Patrum Fratrumque qui in Belgio paſſi ſunt.

7-20